ORATIO DE VITA ET REBVS GESTIS BERTOLDI,

COGNOMENTO SAPIENTIS, PRINCIPIS HENNEBERGICI, qui primus ex gente nobilissima & antiquissima Comitum Hennebergensium, propter summam cùm familiæ nobilitatem, tùm eximiarum virtutum dignitatem, & exhibita Sacro Romano Imperio præclara merita, sub HENRICO SEPTIMO Lucelburgensi, summum inter Imperij Principes locum consecutus, solenniter in augustissimo Cæsareæ Maiestatis & Septemvirorum conspectu Francofordi ad Menum inauguratur, Anno CHRISTI M. CCCX. Iulij Mensis quintodecimo, Habita in Illustri Gymnasio Hennebergensi,

à

M. VVOLFGANGO Mollero Rectore.



SENECA IN EPIST. XCIX.

Vnũ verum bonum non moritur: certum est sempiternumq; Sapientia & virtus. Hoc vnum contingit immortale mortalibus.

CLARISSIMIS ET IN-TEGERRIMIS VIRIS, MVNICI-PIORVM HENNEBERGICI PRINCIPATVS, Eparchis, Consulibus ac Senatoribus, quibus illustrissimorum antiquissimæ Hennebergicæ Stirpis Heroum, & inter hos Domini BERTOLDI, in laudatissima illa familia PRINCIPIS PRIMI, nominis & rerum gestarum memoria, propter insignia merita, quæ illustris Heros, annis ab hinc ferè trecentis, Maioribus & eorum posteris laudabiliter præstitit, vnà cum posteritate sua perpetuò grata iucundaq; esse debet, precatur salutem & incolumitatem.



ISTORIARVM MONVmenta, tàm prophanarum, quàm sacrarum nos docent, & ipsa satis superq; testatur experientia, Clarissimi & integerrimi viri, nihil adeò in hoc præsentis vitæ statu, quamuis splendidum & summum: extra metum periculi et interitus positum esse, vti perpetuitatem sibi quandam policeri queat. Etsi autem agmina malorum nostrorum cogitantes, eorum vtiq; insignem atrocitatem cernimus, qua corda non omninò rigida & stupida grauiter percelluntur, & ad eas nonnunquam rediguntur angustias, vt indies illis ingrauescentibus, quò se

vertant, planè non inueniant: Tamen æquioribus adhuc animis ferri possunt, quæ priuata vel singulis vel aliquibus sæpe eueniunt, & eiusmodi sunt, quæ hominum studio laboribusq́, temporis cursu vel sanentur vel mitigentur. Verùm illa mala demum atrociora multò, imò omnium atrocissima sunt, quæ cernimus non paucis tantum, sed omnibus simul, eaq́, non nobis tantum, sed nostris etiam posteris magnopere formidanda esse.

Inter hæc autem luctuosissimum esse nunc, quod anni huius initio omnibus Hennebergensis territorii incolis accidit, ex interitu laudatissimi Principis nostri, Domini GEORGII ERNESTI, beatæ memoriæ, non solum agnoscimus, sed fusis etiam lachrymis testamur. Amisimus enim non Principem tantum, sed etiam Patrem Reipublicæ, Ecclesiarum & Scholarum optimè & benignissimè affectum, & quidem illum, qui concidens vnica spes & columna Prosapiæ suæ, ruinam totius Illustrissimi stemmatis tristissimam attulit.

Ante

Ante annos ducentos sexaginta quinq; gens Brandeburgica similem vidit interitum familiæ Marchionum è stirpe Alberti Ursi, mortuo Vuoldemaro Brandeburgensi Marchione. Vidit etiam Carinthia suorũ Ducum fatalem periodum, idq; eodem tempore, quo BERTOLDVS Princeps Hennebergensis totius Romani Imperii oculus & decus, non tantum Principatum Hennebergensem possedit florentißimum & amplißimum: sed habuit suæ etiam familiæ & sanguinis Heröas multos & generosißimos.

Tantorum Heroum tam breui tempore, fatali lege quadam totam intercidiße Prosapiam, tristißimum est, & calamitosißimum accidit, tantoq; calamitosius indies futurùm, quantò nobis optandum magis, quàm reuocandum erit, quod nunc (proh dolor) amisimus bonum, quo frui tot seculis maioribus nostris: nobis autem tam breui concessum, posteris prorsus ademtum fuit.

Ceterum quæ annos ante trecentos fermè HENnebergensium Heroum, dignitate primus

Princeps, & alioquin etiam virtute rebusq́; gestis, facilè Princeps, suæ ditionis locis omnibus, & toti præstiterit Imperio, in orationis forma, quanta maxima potui breuitate complexus sum, adiutus monumentis non putidis, sed quæ in archiuis Hennebergensibus reseruantur, diplomatis fide dignißimis, quorum inspectionem cum Magnificus & Clarißimus vir, M. MICHAEL STRVTHIO, Cancellarius Hennebergensis, fautor & patronus meus eximius, cæteriq́; Illustrißimi Principis GEORGII ERNESTI, politici consiliarii concesßissent, in illis sanè, quæ ad institutum meum facere arbitrabantur: & quæ inde collegeram, nuper eisdem inspicienda iudicandaq́; misissem: autores fuerunt, vt eam orationem hoc miserando statu nostro, vnà cum altera de obitu Illustriß. PRINCIPIS GEORGII ERNESTI, ex BERTOLDI posteritate postremi, publicarem, quorum me grauißima autoritas mouit, vt in eo pro eo ac debui, morigerum me præberem.

Cur autem hoc mihi sumserim, Clarißimi & Inte-

Integerrimi viri, vt vobis dedicarem illam de BERTOLDO orationem: impulerunt me piæ & honestæ caussæ.

Præcipua autem est, vt quantus Heros BERTOLDVS fuerit, quæ item & quanta Hennebergensibus incolis, maioribus nostris beneficia tribuerit, notatis quibusdam accuratè circumstantiis nunc viuẽtibus posteris constare queat: ne prorsus inter illos tantorum Heroum eorumq; meritorum tum erga Rempublicam, tum priuatos singulos maximè insignium, & nomen & memoria intercidat. Nemo nostrum nouit, inquit Seneca, libro tertio de beneficiis, nisi id tempus, quod eum maximè transit, ad præterita rari animum retorquent.

Alteram autem, de GEORGIO ERNESTO Principe, liberis & Scholarum vestrarum alumnis donatam volumus: idq; eò potissimum, quòd cum GEORGIVS ERNESTVS PRINCEPS, laudatissimæ memoriæ, in Scholas suæ ditionis, constituta hic SILVIÆ, quam vocant, communitate, æternum

contu-


contulerit beneficium: laudis etiam suæ nunquam intermoriturã memoriam, Euergetes Princeps, inter beneficiarios retineret, subinde ad illos renouandam & repetendam, quotiescunq; de constitutione Illustris Scholæ huius necessaria disputationum & declamationum exercitia habebuntur.

ROgo æternum Patrem Saluatoris nostri, vt autor omnis ordinis, suum ordinem etiam, Politicum Magistratum, gubernet & protegat: Imprimis autem Illustrißimos Principes, D. AVGVSTVM Electorem, D. FRIDERICVM VVILHELMVM, D. IOHANNEM, ambos fratres germanos, Duces Saxoniæ, Dominos nostros clementißimos, qui laudatißimi Principis & dilectißimi patriæ patris nostri GEORGII ERNESTI personam, intercedente confœderationis & legitimæ successionis iure, optatißimè & clementißimè repræsentant: Deinde etiam mœstißimam Viduam, Illustrißimam Principem & clementißimam Dominam nostram, omnipotenti manu, contra varios casus & pericula defendat ac conseruet.

Vo

Vos etiam, & omnes subiectos, totamq́ municipiorum vestrorum gubernationem, tum in Scholis, tum Ecclesiis & politia bonitatis suæ donis immensis & infinitis accumulet, ut in pace optatissima & felicissima, & floreant pii Magistratus nostri, & pareant subiecti debita semper obseruantia ac reuerentia, Amen. Datæ Silusiæ die 24. Ianuarii, quo ante annos viginti quinq́, insignis Heros et Princeps VVILHELMVS, GEORGII ERNESTI PARENS, cuius æterna inter viuentes vigebit memoria, ex hac vita in æternam illam, manè inter octauam & nonam, feliciter euocatus discessit. Anno CHRISTI 1584.

M. VVolfgangus Moller
Rector.



ORATIO.



NTIQVISSIMVS POETARVM Homerus, Agamemnonem Regem suum optasse scribit, non Achillis aut Aiacis, fortissimorum Heroum similes decem, quorum animositate res gereret insignes & maximas: sed eiusmodi potius sibi decem contingere συμφράδμονας, & prudentes consiliarios, qualis Nestor erat, ætate grauis, & iudicio pollentissimus Orator, nec minus rei militaris studio exercitatissimus Princeps, cuius prudentia ac virtute exercitum vniuersum, non modò salutariter regi, sed res quoq; memorabiles suscipi, Troiamq; breui tempore diripi posse persuasum haberet.

Hæc à sapientissimo Poëta non temerè dici certum est, ostendit enim, in omni Imperij sublimitate, & constituenda & tuenda, non tàm fortitudinem, quàm prudentiam, quæ virtutum Princeps, & oculus mentis rerumq; gerendarum rectrix est, imprimis requiri.

Cæterum hanc ipsam virtutem, cùm omnibus ordinibus, & partibus vitæ decus afferre eximium: tùm summis Principibus, sublimitatem dignitatemq; conciliare, & magis atq; magis augere, cumulatioremq; reddere, non est dubium. Quò enim viri Heroici maiorem sui ordinis tenent ac tueri debent sublimitatem: tantò magis ad eam conseruandam illos huius gubernatricis præsidio indigere, quis est omnium, qui dubitet? Quid regna? quid imperia? quid templa? quid curia? quid vitæ totius societas? quæ deniq; dignitas est nostra? nisi prouida gubernet hæc omnia, dux & moderatrix Virtus omnium excellentissima, quæ gratiam, quæ fauorem, quæ autoritatem & diuitias, non modo conciliat & acquirit possessoribus suis: sed eosdem etiam in potentissimorum Principum augustissimis conuentibus, in theatra producit orbi spectandos vniuerso, Deoq; quàm simillimos efficit. Exempla proponeremus, quæ passim nobis historiæ suppeditant, si opus foret, insignia: verùm relictis quæ foris sunt, saltem ex domesticis, quibus abundamus, vno quod multorum instar est, contenti simus, BERTOLDI videlicet, Principis Hennebergici, cui propter excellentem virtutem, prudentiam & fidem laudabiliter Romano præstitam Imperio, noua dignitate ornato, locum inter Imperij

Prin-

Principes tribuit optimus & laudatiſsimus Imperator, Henricus Septimus, datis autoritate Cæſarea priuilegijs & diplomatibus, tùm ab Henrico, tùm eius ſucceſſore Ludouico Bauaro, magno Electorum conſenſu comprobatis, ſubſcriptis, confirmatis.

Hunc vobis BERTOLDVM, eiusq́ vitæ geſta, maximè verò virtutes, Francofordi in celeberrimo frequentiſsimoq́ ordinum Imperij conuentu, toti theatro propoſitas exemplo luculentiſsimo, nunc rurſus in theatrum producemus. Vos confido, me de tanto Principe verba facientem, tùm propter materiæ nouæ dignitatem, tùm rerum iucunditatem atq́ etiam vtilitatem, qua noſtra, vt arbitramur, non eſt caritura nunc oratio, haud grauatim audituros.

Etſi autem Demoſthenicæ orationis maieſtate, & Pericleę Eloquentiæ grauitate, ſtyloq́, virtutes tanti Herois celebrari dignum erat, vt ſummi oratores illi tantò maiorem in ſtudio virtutum nobis BERTOLDVM deſcriberent, quantò magis laude præſtiterunt Eloquentiæ: tamen æquum non eſſe videtur, eum, cuius virtutem laudemq́ pro dignitate, orationis vbertate & ſplendore, ſatis prædicare & celebrare nequeas, prorſus ſilentio præterire, quod Xenophontem etiam ſenſiſſe, ex oratione illius de laudibus Ageſilai Lacedæmoniorum Regis, cognoſcimus. Vſurpamus igitur cum Flauio Vopiſco in Probi Imperatoris vita illud: Non facultatem nunc ego eloquentiæ polliceor: ſed res geſtas, quas ſilentio præterire non poſſum.

Adhæc etiam nihilo magis ab inſtituto, dicendiq́ conſuetudine, in hoc etiam genere nos deterreri patiemur, quàm à commendatione cùm aliarum virtutum, tùm verò imprimis prudentiæ, & ſapientiæ, iudicij & acrimoniæ cuiuſdam, & dexteritatis ſingularis, quæ dona cumulatiſsima in BERTOLDO, non gentem ſolum & familiam Hennebergicam in faſtigium ſummi honoris euexiſſe, ſed ſumma animi moderatione & modeſtia, in Romani Imperij Marte togaq́ rerum gerendarum gubernationem collata, ſummis Imperatoribus, Regibus, populis, imò toti orbi profuiſſe: planum vobis deinceps argumentis faciam luculentiſsimis.

Et quanquam nobis præter illa, quæ in archiuis Hennebergenſibus Cæſareæ Maieſtatis diplomata reſeruantur, alicubi pauca admodum in hiſtorijs occurrunt, vt de BERTOLDO rectè videar affirmare poſſe, quod de Probo Romanæ hiſtoriæ, eum quondam rerum geſtarum magnitudine notum ad ſidera vſq́, poſtea temporis iniuria, ſcriptorumq́

inopia penè ignoratum fuiſſe, ideóq; difficilius, virtutem & glorioſè olim res geſtas BERTOLDI, pro illius dignitate perſonæ, forma diſertæ orationis complecti: Tamen quæ reperiuntur, πάντα μὲν αὐτὰς ἐγὼ νημερτέως ταῦτα ἐνισπῶν, vt Homeri verba parum immutata vſurpem, ex monumentis & Hiſtoricis fide dignis depromta, qua poſſum breuitate & perſpicuitate orationis, pro tenuitate ingenij & virium mearum, explicare conabor.

Xenophon ſe dicit vltrò vituperaturum & execraturum eſſe, ſi quicquam à veritate ſuiq; laude Principis alienum protuliſſe deprehendatur. Quod vt ego recuſem, aut grauer facere, tantum abeſt, vt ab eruditis & prudentibus nihil habeam, quod flagitem magis, aut petam impenſius, quàm candidè moneri, ſi quid vel abſurdius, vel alienius, quàm quod rebus & inſtituto noſtro conueniens ſit, deprehenderint.

Periclem ſanè ex Plutarcho nouimus, priusquam orſus eſſet orationem, vota facere ſolitum eſſe, ne verbum quidem vllum incideret, quod à rebus ipſis videri poſſet alienius: ηὔχετο πρὸ τοῦ δημηγορεῖν, μηδὲ ῥῆμα, μηδὲν ἀλλότριον τῶν πραγμάτων ἐπελθεῖν αὐτῷ.

Cæterum, ſi quis amori me indulgentem, vel cuiusquam dantem auribus aliquid, ambitioſius alienas celebrare laudes exiſtimet; hunc primùm, ſi bonus eſt & φιλαλήθης, mecum luſtraſſe contemplatumq; eſſe velim, quibus rerum teſtimonijs ea quæ dicemus, & quanta autoritate reperiantur, atteſtata comprobataq; monumentis diplomatum, quibus fidem derogare velle, nefas eſſet, & hominis haud ſana mente præditi: Deinde Pindaricum illud prouerbium ad animum ſibi proponere: ἴσω γὰρ ἐν τούτῳ πεδίλῳ δαιμόνιον πόδ' ἔχων. Quisquis enim vel obiter inſpexerit, fatebitur vltrò, non noſtras tantummodò laudes, ſed multo maiores in BERTOLDVM competere, Principem vel omnibus elogijs maiorem.

Doleo igitur vires mihi ingenij denegatas eſſe eas, quibus ne dicam, pro dignitate perſonæ, præſtantiaq; eminentiſsimarum virtutum BERTOLDI: ſed pro teſtificatione duntaxat veritatis, grataq; mentis, ac ſubiectiſsimæ voluntatis meæ declaratione, tùm in BERTOLDVM, de gente & poſteris ſuis Principem optimè meritum, tùm Illuſtriſsimum Principem GEORGIVM ERNESTVM, patrem patriæ, Dominum noſtrum clementiſsimum, veſtris auribus & loco hoc dignum aliquid

quid, in medium afferre posſim. Quem enim ſuo ſe metientem modulo, atq; illud, quod non eſt, reſpuentem, vt Poeta loquitur, gnome illa, quam multorum veterum monumentis ac literis celebratam conſtat, non deterreat? Omnes omnium virtutes tantas eſſe, quantas videri eas voluerint eorum ingenia, qui vniuſcuiusq; facta, laudesq; deſcribendas ſuſceperint: Ego verò deterritum me, repreſſumq; fuiſſe, eò magis fateor, quò minus ingenij vires ad laudum vllarum, nedum Principum, & ſummorum virorum deſcriptionem, idoneas aut ſufficientes, nec reperio in me, nec eſſe glorior.

Veruntamen, vtut hæc ſunt, & alij iudicant, certè duo ſunt, quæ iamdudum me animant, & apud candidos & bonos viros facilè excuſabunt: Vnum eſt, conſuetudo proponendi in publicis congreſsibus Scholaſticis variarum materiarum argumenta, tractata pro viribus cuiuslibet, quæ ſanè ſemper viſa eſt omnibus eruditis longè vtiliſsima. Deinde, gratitudo & memoria cùm omnibus, tùm verò maximè illis debita, à quibus maximis prouocati beneficijs, indies cumulamur, quorum profectò Dij ſunt, & Magiſtratus Dijs officij dignitate in his terris, vel ipſo teſte Spiritu ſancto, proximi. His rationibus omnia, quæ nobis obſtare videbantur, poſthabentes, ad id quod eſt inſtituti noſtri, deinceps accedimus.

BERTOLDVS PRINCEPS, natus eſt patre eiuſdem nominis Comite Hennebergenſi, anno Chriſti, ſupra milleſimum, ducenteſimum, ſeptuageſimo ſecundo, matre SOPHIA, ex familia Comitum Suuarceburgenſium.

BERTOLDVS autem parens, vt hoc prius dicam, is eſt, qui poſt obitum Henrici patris, cum duobus fratribus, Henrico & Hermanno, anno milleſimo, ducenteſimo, ſeptuageſimo quarto, hæreditariæ & paternæ ditionis bona fundosq; partitus, ex diuiſione arcem obtinuit auitam & antiquam illam Hennebergam, cuius adhuc hodie cernuntur veſtigia & ἐρείπια quædam, in amœniſsimæ Ditionis Hennebergicæ quaſi meditullio. Ceſsit eidem Sluſia, locus non ſolùm præ cæteris illuſtrior, ſitus opportunitate commodior, purioris temperie aëris ſalubrior, & optatior: Verùm etiam ſincerioris doctrinæ, de filio Dei, propagatione, Muſarumq; hoſpitio, quibus fouendis ſingularis huic loco genius eſſe innatus videtur, Dei benignitate, multò tùm exoptatior, tùm fortunatior.

r.

HENRICO autem ex partitione obtigit arx Henneberga, cum vicinis locis prope Römheltum, Franciæ oppidum haud obscurum, suoq; vel nomine vetustatem referens, postea verò, propter sedem illustrium Comitum Hennebergensium eò translatam, & templum à posteris Henrici, vnà cum arce, pro eius conditione loci, satis magnificè extructum, factum clarius. Hic, à loco iam pridem occupato, Domini Hartenbergici titulum sibi, suisq; posteris vsurpandum sumsit, quemadmodum Hermanno fratri eius à loco Aschach recens lege diuisionis acquisito, sibi suæq; posteritati, inscriptione Dominorum in Aschach, qui nunc est locus diœcesis VVirceburgicæ, titulum augeri insigniriq; placuit.

Circa idem ferè tempus, quo patriam diuiserunt ditionem Hennebergici Comites, inierunt quoq; paternæ ditionis partitionem, tres filij Alberti, cognomento Magni, Ducis Brunsuicensis, Henricus, Albertus & VVilhelmus: & ista partitio in hunc vsq; diem durat, facta videlicet, post mille, ducentos, ad annum Christi nonum & septuagesimum.

Porrò BERTOLDVS Pater, Magnanimus Heros & bellator, post commissam illam atrocissimam in Vesperis Siculis lanienam, Carolo Siciliæ Regi exercitum contra autores horrendæ creurgiæ cogenti, cum alijs ex Francica nibilitate sese adiuncturus, in Galliæ Narbonensis vrbe Monte Pessulano, diem clausit extremum, anno Christi, millesimo, ducentesimo, octuagesimo quarto, die decimo tertio Februarij, eius ossa BERTOLDI filij pietate, postea VEZERAM in cœnobium vicinum translata, vtroq; BERTOLDO, fratribus, iusta soluentibus, terræ mandabantur.

SOPHIA mater, biennio antè viuis exempta, ibidem sepulta fuit, fœmina nihilò magis familiæ, quàm virtutis splendore, laudatissima, religionis & fidei studiosissima, filia Henrici Comitis Suuarceburgensis, qui comitijs Erphordiæ à Rodolpho Habspurgensi, anno Christi millesimo, ducentesimo, nonagesimo primo, coactis, interfuit.

Estq; hic Henricus, BERTOLDI Socer, Auus Guntheri Suuarceburgici, egregij bellatoris illius, quem in campis Francofordiæ, præcipui Imperij Electores ac Principes, extincto Ludouico Bauaro, contra quem viuum adhuc nonnulli Principes, corrupti largitionibus, & rebelles ef-

ſes efferentes animos, Carolum Quartum obtruſerant, propter virtutem & robur animi, resq́ſub Ludouico Bauaro, laudabiliter & præclarè geſtas, legitimum Imperatorem & Regem Romanorum crearunt, anno Chriſti milleſimo, trecenteſimo, quadrageſimo nono, ſecunda Februarij, loco, vt diximus, vſitato ac debito.

Porrò autem, ambos filios, quos ὁμωνυμεῖν parentibus placuerat, ſtatim à teneris in artium & Chriſtianæ religionis ſtudio, magna piorum & optimorum parentum cura, rectè fideliterq́ eruditos, ac educatos fuiſſe, res ipſa comprobat, adeò quidem, vt de eo non magis relinquatur dubium, quàm de fundamento alicuius ædificij benè poſito, quod quantò firmius illud eſt iactum, & ſtabilitum: tanto hoc videas, omnem vim ventorum ac tempeſtates etiam ſæuiſsimas, ſuſtinere fortius. Eſt enim verè, iuxta Diotogenis Pythagoræi ſententiam, totius Reipub. ſtabilimentum firmiſsimum, ac diuturnum, honeſta perſonarum illuſtrium educatio, eamq́ eò minus negligunt boni parentes, quò magis vim eius intelligunt, & cum ſapientiſsimo Philoſopho iudicant, naturam etiam ipſam, alioquin generoſiſsimam, niſi adiuuetur, & excolatur liberaliore diſciplina, inſufficientem eſſe.

Fuit autem in BERTOLDO, non ſolum pueritiæ ætas florida, amabilis, & integra, inq́ corpore robur validum, vigorq́ habilis, & vires ad res gerendas firmæ, ſolidæ, ac fortiter aduerſus difficultates obnitentes: verum etiam tanta vis, tantaq́ generoſiſsimæ Indolis præſtantia, tanta etiam in puero, nec dum maturo, ingenij celeritas, inq́ percipiendis doctrinis, & literarum ſtudijs, mirifica quædam, & incredibilis memoriæ promtitudo, tanta cum ſumma morum ſuauitate coniuncta humanitas, ſapientiæ deniq́ & omnium virtutum, tam præclara & admiranda ſimulacra, vt in adoleſcente nihil non ſublime, & plenum grauitatis, ac maieſtatis aliquid ſpirare cerneres, verè vt de Cyro Xenophon ſcribit: εἶδος μὲν καλλίςῳ, ψυχὴν δὲ φιλανθρωποτάτῳ καὶ φιλοτιμοτάτῳ, ὥςε πάντα μὲν πόνον ἀνατλῆναι, πάντα δὲ κίνδυνον ὑπομεῖναι τοῦ ἐπαινεῖσθαι ἕνεκα.

Tanta naturæ bonitas, beneficio & diligentia liberalioris diſciplinæ, ac educationis adiuta, quos quæſo temporis progreſſu fructus non proferret, robuſtiore iam ætate? præſertim, vbi φιλόσοργοι filij, parentumq́ ſuorum ſtatim à primis annis extiterint veneratores. Quam virtutem

tem quidem in adolescente BERTOLDO fuisse singularem, vitæ vniuersæ secura felicitas, & rerum prosperi successus omnium, euincunt & commonstrant, tàm planè, quàm planè certoq; sibi verbi diuini constat promissio, filijs in hac etiam vita destinans pietatis erga parentes præmia, cum alia, tùm vitæ longæuitatem, & euentus actionum prosperos, & salutares, quos quàm speratos, optatosq; sortitus sit in vita sua BERTOLDVS, efficiam vt postea cognoscatis manifestissimè.

Obsecutus ergo pijs parentum præceptis, & quæ eius non solum erga parentes & præceptores obseruantia, sed & discendi cupiditas fuit, summo animi feruore literarum studio deditus, ἔφηλιξ BERTOLDVS, maturos exhibuit fructus, & præter ætatem preciosos & augustos, tùm doctrinæ, tùm prudentiæ, vt omnes æquales antecelleret, καὶ εἰς τὸ ταχὺ μανθάνειν ἃ δέοι καὶ εἰς τὸ καλῶς καὶ ἀνδρείως ἕκαστα ποιεῖν. Neq; sanè mirum adeò. Quemadmodum enim experientia teste discimus, vitem aut plantam consitam in loco fertili, si diligens agricolæ cultura accedat, maturos etiam ante ineuntem autumnum proferre fructus, cum alias demum sub autumnum fructus suos ostentare videas: Sic naturalem boni ingenij indolem & sagacitatem, cura & diligentia fidelis educationis adiutam, eos prudentiæ fructus, ætate adhuc tenera, proferre videmus, quos ab alijs iam adultis & senescentibus, vix tandem editos experimur.

Cœpit igitur magna se virtus cum omnium admiratione, statim in puerilibus & adolescentiæ BERTOLDI annis exerere, quæ mox in Regum ac Principum aulis, totoq; passim imperio, magnis laudibus & faustis rumoribus inclaruit, tamq; honesta de eo in animis hominum, etiam optimorum quorumq;, insedit & mansit opinio, cùm de cæteris in illo heroicis virtutibus, tùm verò maximè sublimi eius & propè incredibili prudentia ac sapientia, vt sui seculi homines cognomento SAPIENTIS dignati eum cohonestarent, quem hoc nomine, non solum omnes, tum summi tum infimi ordinis homines celebrantes, διὰ σώματος εὖχον καὶ ἐν λόγῳ καὶ ἐν ᾠδαῖς: Sed fama etiam ipsa, vsq; ad cœlos efferebat, indies facta plenior & confirmatior, comprobantibus virtutum encomia testimonijs fide dignissimorum hominum, factoq; ipso, doctrina videlicet & eruditione, cuius laudem tantò magis ab ipsa statim prima appetebat ætate, quantò virtus in eo fuit sublimior, & natura præstantior.

Quare literis ingenium eius, per se suaq; natura sagax, perspicax, &

acutum,

acutum, multò redditum fuit ſagacius, perſpicacius, & acutius, quodq́; natura veluti μονόστομον, & vna duntaxat acie præditum fuit, literis expolitum factum fuit ἀμφίστομον, ἀμφήκες, & vt Platonis ex 7. de Repub. verbo vtar, maximè συνοπτικόν, vt gemina mentis acie, res & negocia, varioſq́ue caſus diſpiceret, & dijudicaret, idq́ue prudentius, & ſapientius, face literarum, in rebus Imperij decernendis, prælucente, Διπλῶν γὰρ ὁρῶσιν οἱ μαθόντες γράμματα, vt inquit Menander. Et Plutarchus in commentario, qui inſcribitur πρὸς ἡγεμόνα ἀπαίδευτον, inquit: In ciuitatibus iuſtitiæ lumen gignit in bono Principe doctrina, è Philoſophia proficiſcens. Ac veteres & ſcripſiſſe & docuiſſe teſtatur ibidem Plutarchus: abſq́ue iuſtitia principatum gerere, ne Iouem quidem ipſum poſſe. Et Chion Philoſophus, ad Matridem epiſtola ſcribit: Certum eſt, homines non aliunde temperantiam & iuſtitiam, quam ex Philoſophiæ fontibus, haurire.

Sed hactenus inſtituta pueritiæ, & adoleſcentiæ annorum BERTOLDI, breuiter attigimus: nunc cætera: niſi quod antequam in ſolium Dominij eum collocemus paterni, & adminiſtrationis capeſſentem habenas deſcribamus: vobis ex Romana depromtum hiſtoria, ad animum proponendum recenſeo, illud, quod vitam Probi verè probi Imperatoris deſcribens Hiſtoricus his refert verbis: certum eſt, neminem vnquam ad uirtutis ſublimitatem perueniſſe maturum, niſi qui puer, ſeminario virtutum generoſiore concretus, aliquid inclitum deſignauerit.

Poſtquàm iam præclaris naturæ, ingenijq́ue bonis inſtructus BERTOLDVS, poſt patris BERTOLDI obitum, fratre ſacris initiato Iohannitarum ordinis, ſolus adminiſtrationem feliciter ſuſcepiſſet, anno CHRISTI, ſupra milleſimum, ducenteſimum, octuageſimo quarto, conſtitutus iam in conſpicuo dominationis & honoris gradu, voluit & pietatis, & poſteritatis propagandæ ſtudio, legitimo ſibi iungi matrimonio coniugem, duxitq́ue ADELHEIDAM Henrici Haſsiæ Landgrauij filiam, SANCTAE ELISABETHAE proneptem, ex eaq́ue ſpem gentis, quatuor ſuſcepit filios, & in his IOHANNEM, nouæ dignitatis & ſanguinis paterni propagatorem, vt poſtea dicemus.

Porrò, vt ſuum decus officiumq́ue tueretur maiore autoritate, & grauitate, iam annis maturior, non deſiit pulcerrimis virtutibus ſemper ad-

dere studium doctrinarum: Vt non modò confirmaret omnium de se opinionem honestissimam: sed magis magisque vnà cum ætate, meritis, & virtute cumulatius augeret: quamobrem, ne vnum quidem diem sponte sua præterire passus est, quin se vel literarum vel armorum exercitio instructiorem, magisque confirmatum vellet. Et quemadmodum multis suorum æqualium, virtute palmam præripuit: ita laudem quoque doctrinæ, rerumque multarum peritiæ, consecutus, magnam quidem initio dominationis suæ, sed paulatim splendidiorem, maioremque vsu comparans, summam quoad vixit, obtinuit.

Vtque nihil dicam de priuatis eius virtutibus & moribus, qui cuiusmodi fuerint postea breuiter ostendemus: Certè in tota gubernatione, summam eius & prudentiam, & fortitudinem cognoscimus, quibus præeminens, euectus est ad summos honores, vt superaret non æquales tantum, sed inter præcipuos & summos, summis & optimis quibusque, partim annumeraretur, partim præferretur.

Cum autem hæc duo, prudentia scilicet, sine qua nullius etiam virtutis est vtilitas, vt docent Philosophi: Deinde fortitudo, quæ si est expers prudentiæ, sua vel mole ruit, nec virtus iudicanda est: cum, inquam, ambæ virtutes, in BERTOLDO coniunctæ simul, & laudatissimæ essent, & vtramque commendaret, non tam maiestas personæ BERTOLDI, quam oratio viri, & plus quam mellita facundia, erat enim ἐυεπὴς καὶ ἡδυεπὴς BERTOLDVS, οὗ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή, vt de Nestoriana eloquentia scribit Homerus: Tantæ igitur, cum essent, & eminerent in BERTOLDO, virtutes illæ, adeò quidem, vt versus de eo perhiberi potuisset:

οἷος ἐκεῖνος ἔην βουλευέμεν ἠδὲ μάχεσθαι:

à sui seculi Principibus, cum cæteris, qui eius amicitiam & officia in tam præclara virtutis, & ingenij existimatione, magnis præmijs, vt postea dicemus, certatim expetebant: tum verò ab Imperatore Alberto, Rodolphi Habspurgensis filio, magno in precio habitus, anno millesimo, trecentesimo quarto, Norinbergam, vbi antiquo more prima comitia celebrabat Imperator, euocatus, inque numerum ascitus consiliariorum Imperatoriæ Maiestatis, continuò præesse iubetur magnis negotijs Imperij, quæ tanta cum laude & sapienter adeò administrauit, vt dignitatem Principis, quam solenniter tribuit & confirmauit postea, Henricus Lucelburgensis,

prome-

promeruiſſe viſus eſſet, non tam Imperatoris autoritate, quàm vita ſuffragante, & moribus, vt de Imperatore SEVERO dicebatur, ſummisq; meritis ipſius, quæ regia diplomata, viuo etiam dum Alberto, BERTOLDVM Imperio contuliſſe teſtantur, vt docebimus euidentibus, quæ mox proferemus, exemplis.

ALBERTVM ſubſecutus HENRICVS SEPTIMVS Imperator, armis ſtrenuus, religione præcipuus, iuſtitia prudentiaq; præſtantiſsimus, vt omnes pariter Hiſtorici, præcipuè autem Petrarcha, de eo teſtatur: hūc enim virum prudentem, iuſtum, honeſtum, catholicum, dilectum omnibus, nunquam elatum proſperitate, nunquam deiectum aduerſitate, Henricum celebrat. Hic tantus Imperator, BERTOLDVM conſilijs adhibitum prudentiſsimum & fideliſsimum expertus, ſemper vnicè dilexit, nec tantum inſtauratis confirmatisq; omnibus priuilegijs, prius à Friderico Secundo Maioribus BERTOLDO traditis, inq; fodinas argenti & auri, ſalisq; fabricas, itemq; Vvaſingenſem arcem & oppidum, ab ALBERTO collatis, BERTOLDI ditionem cumulatam ditauit, beauit, ornauit: atq; adeò ipſum etiam BERTOLDVM Suuinfordi Imperij conſtituit vicarium, quotannis bis mille marcas argenti laborum & virtutis præmium deſtinans, eodemq; in oppido τοπτηχνιλὼ, extruendæ Imperij ſumtibus arcis poteſtate permiſſa, confirmat: ſed etiam, quod omnium eſt maximum, vt intuens ſe BERTOLDVS, eiusq; poſteri, auguſtiſsima ac æterna ſummæ virtutis ornamenta contemplarentur, nec porrò vnquam deſiſterent, tum Imperio, virtute, meritisq;, tum ſibi ipſis ornamento eſſe: agnoſcens Imperator, ſummum ſe BERTOLDO debere beneficium & honorem: eum propter admirandæ, incredibilis, & diuinæ cuiusdam ſapientiæ laudem, ac grauiſsima toti præſtita Imperio merita, ſummamq; fidem, ad ampliſsimi honoris, & ſummæ dignitatis, in Romano Imperio faſtigium euexit, Francofordi ad Menum, vbi Heros fauſtis omnium acclamationibus, anno milleſimo, trecenteſimo, decimo. Iulij Menſis quintodecimo, in conſpectum Cæſareæ Maieſtatis, & ordinum Imperij productus, Princeps eſt ſolenniter pronunciatus, tanto cum ſuo ſuæq; gentis honore, vt nihil aut temporis iniuria, aut inuidorum calumnia, aut ſceleratorum fraudibus, de eo imminui vnquam poſsit.

Cæterum HENRICVS BERTOLDI conſuetudine mirum in modum delectatus fuit, & tantum quidem, vt non ſolum omnium

conſiliorum ſuorum participem, & intimum haberet: ſed rebus quoq́ gerendis, ſocium adiungeret perpetuum & tanquam oculum, non tam corporis, quàm mentis, in maximis rebus Imperij perſpicaciſsimum & acutiſſimum, adhiberet.

Quare poſt inaugurationem BERTOLDI, & quidem eodem anno Mediolani coronatus Imperator, BERTOLDVM comitem habuit in Italiam vſq́, cuius conſilio contra hoſtes vſus, multa ſalutariter & præclarè geſsit, pacata Alemanniæ diſcordia, vt Cuſpinianus ait, repreſsisq́ in Italia factioſis & hoſtibus ſuis, terram ſanctam etiam recuperaturus, niſi morte violenta, porrecto nefariè in pane Euchariſtiæ veneno, cum magna quidem Chriſtianitatis, vt idem loquitur Hiſtoricus, iactura, ſublatus fuiſſet, vt rectè & verè Ludouicus Bauarus, ſucceſſor Henrici, reuerſus olim ex Italia, dixerit: Germanorum Cæſares multos veneno, paucos enſe ex Italia abactos.

Sed & Ludouico non minus charus, imò chariſsimus fuit, Imperatori iuſto, magnanimo, imprimis etiam modeſto, nec vlla intumeſcenti proſperitate, prouido, ſagaci. Is enim quamprimum Imperij cepiſſet habenas, BERTOLDVM ſibi delegit oratorem & prudentem conſiliarium, vtpote in Imperij negotijs exercitatiſsimum & oculatiſsimum, cuius in magnis Imperij difficultatibus, tanquam ſapientiſsimi Neſtoris vſus conſilio, fortiter & modeſtè ſuſtinuit vim & immanitatem, cùm aliorum hoſtium, tùm imprimis Pontificiorum, quorum grauiſsimis iritatus contumelijs, non tamen hoc egit, vt bellum magis ipſe inferret, quàm inferentium arma fortiter depelleret, qua in re domi militiæq́, conſilium ſuum fidemq́ BERTOLDVS Imperatori fideliter præſtitit.

Summa inter eos, non quidem vt Imperatorem & Principem, ſed vt inter Principem & Principem, fuit animorum, ſumma affinitatis coniunctio. Regis erga BERTOLDVM ſumma propenſio: rurſus BERTOLDI erga Regem & Imperatorem fides, conſtantia, obſeruantia & merita tanta, quæ regiam munificentiam, & liberalitatem promerebantur, quod vel ipſis regijs diplomatibus abundè & prolixè comprobatur.

Scribit AElius Lampridius, inter cæteros Alexandri Seueri Conſiliarios, fuiſſe Quintilium Marcellum, nec illo meliorem recenſere hiſtorias: Ita.

Ita dixerim inter consiliarios Ludouici, nullum BERTOLDO Principe referri digniorem, nullum meliorem, quo, vnà cum aliis autoritate consilioque pollentissimis viris, adscito, quid malè Ludouicus facere potuit, quem omnes pariter ad optima, Duce BERTOLDO, cohortabantur?

Sed age specimen meritorum, inquis, quæ tanta præstitit BERTOLDVS, exhibeatur? Ego verò exhibeo, & facere mihi animus gestit, vt appareat, non ex Iouis diphthera, quod dicitur, sed historiarum monumentis, ac literis regio signo sanctis petita, fiatque planum: quantum bellica simul & togata virtute, BERTOLDVS valuerit, συμφράδμων τ᾽ ἀγαθὸς κρατερός τ᾽ αἰχμητής: vtor igitur illo Lucretiano passim obuio: dictis dabit ipsa fidem res.

ALBERTVS Imperator, cum primum BERTOLDI Principis in obeundis Imperij negocijs, tùm dexteritatem, tùm fidem, fama vel ipsa maiorem cognouisset, eamque magis atque magis increbrescentem: Nam verè apud Pindarum dicitur: τιμῶντες δ᾽ ἀρετὰς ἐς φανερὰν ὁδὸν ἔρχονται, τεκμαίρει δὲ χρῆμα ἕκαστον: sublimioribus BERTOLDVM præficiendum esse ratus, Administratorem delegit in Misnia, anno, supra mille trecentos, quinto, eorum quidem locorum, quibus ex transactione nuper cesserat VVenceslaus Boëmiæ Rex, relictis illis Alberto Imperatori: Caussæ illius cognitioni, & dijudicationi, intercesserant arbitri, BERTOLDVS Princeps & PETRVS, tunc temporis Episcopus Basiliensis. Vtque huius expediendi negocij difficultas, prudentiam ac moderationem requirebat maximam: ita satis opportunè, eidem ipsi componendo, BERTOLDVS & PETRVS adhibebantur, reliquorum tum sapientissimi, tum expeditissimi, quorum vterque, vt ὁμήλικες καὶ ὁμόθυμοι, nec ingenijs admodum erant dissimiles: ita communicatio consiliorum vtriusque, cùm in cæteris, tùm in hac controuersia, inter Boëmiæ Regem & Albertum, felicissima fuit: Paulò pòst, vterque etiam honores consecutus est virtute duce, comite fortuna, amplissimos: noster quidem, vt ad Principis dignitatem: PETRVS verò ad Electoris & Archiepiscopi Moguntini sublimitatem, eueheretur. En tyrocinium BERTOLDI, vnde non aliter ac, vt dicitur, ex vnguibus Leonem cognoscimus, quantus in cæteris fuerit: Nam ἀρχὴ τὸν ἄνδρα δείκνυσιν.

 Cæterum.

Cæterum ad alia priusquam descendimus, ad PETRVM quædam pertinentia, καὶ ταῦτα μὲν οὐκ ἀπροσδιόνυσα, vt arbitramur, aspersérimus: videmur enim, huius mentione, BERTOLDI quoq; manibus gratificaturi: Quid enim hunc in commemoratione rerum illius, oratio prætereat? quibus viuentibus, σώματα μὲν δύο, ψυχὴ δὲ μία, & quorum altero superstite, vita fuit alteri iucunda, si contra, grauis, vt ait Horatius.

PETRVM igitur illum, cognomine Medei, Tritthemius & alij scribunt, in Archiepiscopatu Treuirensi, in vico Achtspalt, honestis parentibus natum esse, & adolescentem ingenio felici, progressus in artium & medicinæ studio, tam flagranti cupiditate fecisse, vt summum in Philosophia gradum consecutus, & medicinæ Professor eminentissimus, PETRVS de Treuiri nuncupatus, eruditionem & artem suam probârit omnibus. Qui etiam propter insignis eruditionis laudem, & rei medicæ peritiam, in aula Henrici Comitis Lucelburgensis, quem postea delegit Imperatorem Senatus Imperij, constitutus est Medicus ordinarius, nec multò pòst adeptus canonicatum Ecclesiæ Moguntinensis, & ita paulatim euectus ad altiora, tandem à Bonifacio Octauo, ad annum Christi nonagesimum sextum, post millesimum, ducentesimum, Episcopatui præficitur Basiliensi, in quodam, vt Cuspinianus scribit, Stelliferorum & Psitacorum dissidio. Cumq; Episcopatum illum, ad annos nouem, vtiliter & magna cum laude administrasset, in magna apud omnes admiratione esse cœperat. Sed qua occasione Episcopus ille, homo quidem humili loco natus, ad Archiepiscopatum, & Electoris dignitatem, ac summum eminentiæ gradum elatus, & infinitis alijs summi ordinis hominibus prælatus sit, hoc scire videmini mihi expetere.

Id vero est, quod vt dignum memoratu visum est mihi: ita ad literarum cultores, non solum per se, & sua sponte currentes, incitandos, sed ad languentes etiam, ac segniores commouendos, extimulandosq; facere meritò debeat.

Extincto apoplexia Gerhardo Moguntinensi Præsule, qui fuit ex familia Dominorum ab Eppenstein, Henricus Lucelburgensis Comes, fratrem Balduinum adolescentem, annos natum octodecim, sufficí in locum mortui cupiens, huius negotij caussa ablegat PETRVM, quem diximus, Basiliensem, tunc temporis, Episcopum, ad Clementem Quintum Pontificem,

ficem, qui sedem Romanam ex Italia transtulerat Auenionem in Gallias, quam ipse & successores eius tenuerunt annos septuaginta & amplius, vsq; ad tempora Gregorij noni, qui ex Auenione Romanam Curiam rursus Romam transtulit. Eò igitur PETRVS ad Clementem, de impetrando Archiepiscopatu, Henrici Lucelburgensis fratri Balduino, missus, fideliter & exquisitis verbis ac precibus caussam agit, sed frustra.

Cum igitur, re infecta, PETRVS in Germaniam reflecteret, accidit, vt Clemens, graui ac periculoso morbo interim correptus, decumberet. Consuluntur medici, quæruntur propinqui, conducuntur longinqui. Continuò etiam PETRVS, de cuius in arte medica peritia Clementi erat per familiares relatum, reuocatur, adhibetur, consulitur.

Eius ope sanatus Pontifex, miratusq; hominis solertiam, & in professione artis felicitatem, eum, qui celeberrimus, & præstantissimus corporum fuisset medicus, dignatus deinceps etiam animarum esse medicum, successorem in Archiepiscopatu Moguntinensi, vt Ecclesiasticæ Hierarchiæ dispensator constituit, confirmat, & solenniter inuestitum renunciari mandat.

Ita PETRVS, relicto Episcopatu Basiliensi, Archiepiscopatum & Electoratum adit Moguntinensem, fausta acclamatione omnium. O rarum Medico præmium Archiepiscopatus, quod ars quidem meruerat, fortuna autem tribuerat,

Qua, medicus, comitante, uel Archiepiscopus esse,
Esse uel Elector, uir grauis arte, potest.

sed nimium fortasse παρεκβάσεως reuertor ad institutum.

Ex interitu VVenceslai, Boëmiæ Regis, qui adolescens annorum octodecim confossus est, anno, post millesimum, trecentesimum, sexto, pomum ἔριδος obijciebatur Boëmis, & Alberto Austriaco: hoc quidem Rodolphum filium, vt quidem adhuc viuo VVenceslao inter illos ex pacto conuenerat, decernente: illis verò, Henricum Carinthiæ Ducem, cui defuncti Regis soror germana desponsata fuit, obtrudentibus. Cumq; regnum Boëmiæ iam Alberto videretur armis occupandum esse: BERTOLDVS ad hoc Imperatori manu militum instructissimorum affuit, & quidem fugato postea Carinthiæ Duce, pacatis Boëmiæ ordinibus, in Rodolphum Imperatoris filium regnum translatum est, qui tamen eodem pòst anno, quo pater Albertus à fratris filio interficitur, non sine suspitione veneni, Pragæ fuit extinctus.

Ante

Ante electionem Ludouici Bauari, (quem Quartum huius nominis Imperatorem nominant, hi qui Ludouicum Arnolphi filium Catalogo Imperatorum non inferunt, eò quod à Romano Pontifice diadema non accepiſſet, vt ſcribunt Munſterus & Cuſpinianus) anno videlicet, milleſimo, treceteſimo, decimo tertio, per literas Calendis Septembris datas, à Iohanne Boëmiæ ac Poloniæ Rege, Henrici Septimi Imperatoris filio, BERTOLDVS Princeps ſeriò euocatus fuit, vt eſſet vtriuſq; regni adminiſtrator, quem ſe abſente, vnà cum collega PETRO Moguntinenſis ſedis Archiepiſcopo, Proreges conſtituit, ſummæq; rerum præeſſe voluit.

Porrò autem, inuitum BERTOLDVM, quem tamen vnà cum PETRO Moguntinenſi Henricus Septimus in difficilima gubernatione, filio admodum iuueni, viuus adhuc, tutorem conſtituerat, ad tantorum regnorum gubernationem acceſsiſſe, literæ ſereniſsimi Regis, quarum iam mentionem fecimus, liquidò oſtendunt, quibus manifeſtè aſſeritur, BERTOLDVM etiam renuentem, cum plenaria poteſtate Prouiſorem (vt verba retineam, quæ Sereniſsimi Regis tunc fuerunt) quæ diximus, regnorum conſtitutum fuiſſe.

O raram Principis modeſtiam, ô ſummam moderationem, & immortali gloria dignam prudentiam, Quos alij precio, prece, pecunijs emtos vix adipiſcuntur honores, ad eos, ne ſuffragijs quidem ſummorum virorum, capiendos, BERTOLDVS Princeps adduci, aut perſuaderi ſe paſſus eſt. Inuitos, non ambientes, in Rempublicam collocandos eſſe Alexander Mammææ literatiſsimus Imperator cenſuit, quamobrem fugientes & recuſantes Magiſtratum, ad officia & dignitates traxiſſe dicitur.

Libet hîc, quæ Albertus Cranzius in ſua Vandalia, libro Septimo, de VVenceslao, Rege Boëmiæ, patris Odoacris in regno ſucceſſore, refert, μικρὸν παρεκβατικωτέρῳ τῷ λόγῳ, inſerere: VVenceslaus, Odoacris filius, regno ſuccedit paterno, cuius tanta fuit virtus, vt Imperatore Rodolpho moriente, illi à Principibus Romanum deferretur Imperium: Sed qua virtute promeruit, eadem modeſtia recuſauit, aſſerens, ſatis ſuperq; ſibi laboris eſſe, paternam ditionem æquis legibus gubernare: externis ſe libenter abſtinere, cedereq; dignioribus: vir tanto Imperio magis donandus, quò magis à ſe abegit. Res quæ in paucis inuenit exem-

exemplum: fatigant cæteri cœlum & terram, vt imperent, ille manibus pedibusq; oblatum Imperium, regno suo contentus, detrectat. Hæc Crantzius.

De Agesilao suo Xenophon inquit: Perpulcrum quidem esse, muros insuperabiles ab hoste expugnari non posse: verùm ego longè pulcrius iudico, suum animum ita comparare, vt & pecunijs, & voluptatibus, metuq;, & (licet addam) ambitione honoris, sit & perstet inexpugnabilis. Sed ad BERTOLDVM. Qui etsi in vtriusq; regni gubernatione collegam habuit PETRVM, Archiepiscopum Moguntinensem: tamen omnia ad suum arbitrium, prudenter ac moderatè, solus peregit, laudem sibi fauoremq; sine inuidia concilians, cum aliorum Principis admirantium dexteritatem, & expeditissimorum prudentissimorumq; consiliorum copiam: tùm verò ipsius PETRI, vt Poloni & Boëmi non PETRO & BERTOLDO: sed BERTOLDO & Principe Hennebergio gubernatoribus, quicquid publico nomine decerneretur, actum agnoscerent, bis eundem præponentes nomine atq; cognomine, quemadmodum olim in consulatu Cæsaris & Bibuli collegarum, factum scribit Suetonius Tranquillus.

Cæterum, vbi Iohannes, Boëmiæ Rex, confectis extra regna rebus suis, ad Imperium redijsset, statim ac patriæ & subditis suis redditus esset, BERTOLDVS, in aulam ascitus est Ludouici, recens electi Imperatoris, vt quemadmodum & antea, sub Henrico Lucelburgensi, eodem munere functus, rem laudabiliter & præclarè gesserat, Secretis præesset Cameræ illius. Quod munus, quanta cum laude multis obierit annis, testantur non solum diplomata, & Imperatoriæ Maiestatis præclara testimonia: verumetiam virtutis præmia BERTOLDO, eiusq; posteris, simul cum priuilegijs, de quibus mox, vbertim collata, grauissimè commonstrant.

Si quid foris vel cum amicis, vel hoste, si publicè, vel priuatim quid gerendum: BERTOLDVS Princeps parastates, & alter Nestor adhibebatur, imò veluti pectus & Consiliorum gubernator Ludouici, qui cum prudentiam, fidem ac iudicij dexteritatem, in BERTOLDO haberet perspectissimam, magnifecit eum, suoq; à latere discedere non passus est, atq; adeò, in literarum epigraphis & vestibulis abundè testatur, quo cum loco reputans, quo dignum honore æstimans, collocauerit, cum dilectum suum, cum fidelem & intimum inscribens consiliarium, honorificentissimè inuitet.

Tanta cum valeret apud Ludouicum autoritate, etiam filio Ludouico natu maximo, cui post obitum VVoldemari, sine liberis mortui, Marchionatum Brandeburgensium deuolutum ad Imperium, Pater attribuerat, consiliorum & totius gubernationis Ducem, moderatorem, ac, vt antea Iohanni Boëmiæ Regi Henricus Lucelburgensis, filio suo, tutorem adiunxit, anno millesimo, trecentesimo, decimo nono, vbi cum Ludouicum filium diutina exercerent Pomeranica & Megapolensia bella, sanè perquam commodè & optimè factum est, vt ei BERTOLDVS perpetuus associaretur comes, à quo non minus consilio iuuaretur, ac ab Vlysse Diomedes. Tantum vel in vnius prudentia viri præsidium est.

Porrò, cum filij Ludouici & Marchionatus, totiusq; gubernationis curam laudabiliter gessisset, iussus est etiam BERTOLDVS, filio Imperatoris nuptias ambire, inq; eo pro suo statuere arbitrio. Postquam igitur Margaritæ, Christophori Daniæ Regis filiæ, nuptias, adducto secum in Daniam bono omine Ludouico Marchione, feliciter petijsset, easque ratas impetrasset: anno post mille trecentos, vicesimo quarto, rursus in Daniam, petendæ à Rege pecuniæ caussa, de donatione propter nuptias filio dandæ, mandato Imperatoris mittitur. Huius desponsationis etiam Albertus Cranzius meminit, & libuit eius verba, ex capite duodecimo libri octaui VVandaliæ recensere: Venerat tum Lubecam, inquit, BERTOLDVS de Henneberg Comes, nobilium solenni secum apparatu ducto, secum etiam adducens Ludouici Marchionis puerum nouennem filium: vt inde traijceret in Daniam, desponsaturus puero filiam Regis Danorum Christophori, ad eam solennitatem honoris gratia, multi euocati Principes venerant &c.

Cum in Italiam decreuisset Imperator expeditionem, anno millesimo trecentesimo vicesimo septimo: BERTOLDO Principi nostro suo nomine & mandato, conuocandi ex Saxonia nobilitatem, & Vasallos Imperij, negocium & executionem mandat literis, Mediolano, quarto mensis Augusti, datis.

Anno millesimo trecentesimo, vicesimo tertio, iussu & nomine Ludouici Imperatoris, dissentientium partium Burcardi Archiepiscopi Magdeburgensis, Ducum Saxoniæ, & Henrici Megapolensis, idem BERTOLDVS arbiter & tanquam Sequester constitutus, autoritate sua controuersias composuit, & pacatis animis discordias sustulit. Cumq; ali-

quanto

quantò pòst inter Landgrauium Fridericum, cognomento Strenuum, eiusq; matrem viduam vsufructuariam feudi, dissensio extitisset: Ludouicus Imperator ipse coràm, vt ex Thuringicis annalibus liquet, BERTOLDO vsus oratore disertissimo, controuersias composuit. Sic inter eundem Landgrauium, & Ciuitates Erfordiam & Mulhusium, contentionibus quibusdam intercedentibus, BERTOLDVS ab Imperatoria Maiestate legatus & pacificator missus, quæsitam inter contendentes pacem conciliauit. Subortis etiam contentionibus inter ipsum Imperatorem, & VVolframum ex Grumbachorum natum familia Episcopum VVirceburgicum, literis Tridento Calendis Martij, anno post millesimum trecentesimum vicesimo datis, mandat Ludouicus Principi nostro, vt pro sua prudentia ac dexteritate media tentet reconciliationis, ad abolendum quidquid iniuriarum, odij & simultatum fuisset, se transactione BERTOLDI facile acquieturum, & quidquid statueret, in eo negotio, id ratum certumq; approbaturum.

Nec prætereundum, quod Albertus Cranzius scribit: BERTOLDVM moderatissimis suis consilijs Henricum Principem Megapolensem, acerrimum militem, qui magnam Marchionatus Brandeburgici partem sibi per arma conquisiuerat, post suum ex Dania reditum, Lubecam euocatum, ita mitigasse, vt acceptis marcarum millibus Brandeburgensis monetæ, Ludouico Marchioni terras ademtas reddiderit.

Tanta Eloquentiæ vis, tanta gratia, virtute magistra & Principe, in BERTOLDO fuit, vt quod alij nulla vi, nullis armis expugnarunt, ipse ἐκ τῆς μύθων orationis vi, & dicendi gratia consecutus est, εἰ ὑπὲρ δ' ἤνοται, πλεῖον γὰρ αὐτῷ ὁ λόγος λέξις ἐξαχυτάτη ὑπὲρ περιέχον. An non meritò tum quispiam de BERTOLDO, rebusq; eius in Danica profectione gestis, dixerit? quod olim Cato Senior, vt Plutarchus memoriæ prodidit, in politicis præceptis, de rebus gestis Cornelij Scipionis, imprimis verò illis, quas Tribunus militum ad Carthaginem gesserat: οἶος πέπνυται, τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσιν.

Ex his quantus toga BERTOLDVS fuerit, satis intelligi posse existimo, vt si sapientiam & cæteras præclaras eius virtutes contempleris: vel cum sapientissimo Vlysse comparandum non dubites: οὗ περὶ μὲν πρόφρων κραδίη καὶ θυμὸς ἀγήνωρ ἐν πάντεσι πόνοισι, φιλεῖ δέ ἑ Παλλὰς Ἀθήνη: Si eloquentiam, & moderationem consiliorum: non

minorem Nestore censeas: οὕνεκα οἱ γλυκὺ μένος ἦν στόματος χέε νέκταρ.

Nunc vt Marte quoque non minus clarum, magnum, ac præstantem fuisse planum faciam, ne commemorationibus pluribus vos intempestiuius obtundam, vnico contentus ero exemplo, quod cum eminentissimum sit, eo vos quoque contentos fore, nihil plane diffido.

Quis vestrum non nouit atrocissimum illud prælium? anno millesimo trecentesimo vicesimo tertio, ipso die castis angelis sacro, commissum ad oppidum Muldorf, & Ottingam: vbi de summa rerum Ludouicus Bauarus, cum Friderico Austriaco Imperij æmulo dimicans, hostibus fusis & profligatis, Fridericum vicit, cepit, captumque diu tenuit. In hac pugna vnà cum Iohanne Boëmiæ Rege, & Friderico Burgrauio Norinbergensi, noster etiam BERTOLDVS, cum instructissimo equitatu, Imperatori suo contra Fridericum auxilio venit. Hic vbi μουσάων καὶ χαρίτων antea, nunc Ἄρηος θεράποντα vidisses, maximè strenuum & insignem. Etenim non solum in acie miles acerrimè contra hostes ipse pugnauit; sed etiam cornua in ipso primo conflictu adiens, milites admonuit, sub ictibus telorum versatus, strenuos quosque milites ad laudem & fortitudinem fidemque Imperatori præstandam, πάντοσε φοιτῶν ὦ πολεμοῦντων μένος ὀτρύνων, ἄλλον μειλιχίοις ἄλλον στερεοῖς ἐπέεσσι νεικῶν, ὅντινα παγχὺ μάχης μεθιέντα ἴδοιτο, vt Homerica verba de duobus Aiacicus dicta, paucis mutatis, ad nostrum Heroa accommodemus, fideliter suo loco cohortatus.

Etsi autem Historici de nomine variant, siquidem alij Bopponem, alij Henricum Hennebergium fuisse asserunt: tamen discimus, non solum ex multis circumstantijs, quarum nonnullas antea commemorauimus: sed etiam ex ipsis archiuorum monumentis, & Hennebergensium Principum Genealogia, fuisse non alium, quam hunc ipsum BERTOLDVM cui nostra hæc seruit oratio. Is enim ipse est, quem Ludouicus Bauarus, quicquid domi militiæque gereret, vt doctum, vt disertum, vt prudentem & magnanimum Principem, togata pariter ac bellica gubernatione, vnicum vnicè adhibitum vellet.

Si de Iure & negotijs curiæ agebatur: BERTOLDVS Hennebergius primas tenens consulebatur, fidelis consiliarius, disertus orator, literatissimus Princeps: Sin bellica tractabantur negocia: audiebatur BERTOLDVS, bellator eximius, Princeps optimus, cuius auspicio ductuque

ductuq; quicquid tandem gereretur, omnes ratum auspicatumq; credebant, non γυναικὸς ςρατηγούσης, & γυναικὸς ςρατευούσης, vt est in prouerbio: sed Heroe forti, magnanimo, Duce consilijs æquè ac armis promtissimo. Et ne quis alium præter nostrum in pugna illa fuisse imaginetur, nisi prius positæ rationes satisfecerint, quæ tamen propter euidentiam satisfacere cuiuis debeant: validiori adhuc, ni fallor, argumento, adducam te nolentem volentem, qui fortè manifestis rationibus contradicere non desines.

Regijs diplomatibus Henrici VII. Imperatoris, quæ custodiuntur archiuis, affirmatur, & Electorum, quorum in ijsdem nominatim fit mentio, autoritate & consensu omnium comprobatur, & liquidò apparet: BERTOLDO Hennebergio, eo ipso quidem, quem supra assignauimus anno, die, loco, ab Imperatore Henrico VII. Lucelburgensi, noua dignitate ornato, locum inter Imperij Principes tributum fuisse.

Quis igitur salua veritate contra statuere ausit, alius nominis fuisse Hennebergium illum, & factum hoc in aliud reijciat tempus, locum, personas, quam augusta & αὐτόπιςα, nos docent diplomata? Auentinus opinione deceptus, decem & tribus annis post solennem BERTOLDI Francofordi factam renunciationem, & quidem demum post partam victoriam, capto Friderico Austriaco, falsò nouæ dignitatis collationem asscribit Ludouico Bauaro, factam Bopponi Hennebergio, quem tum nuspiam fuisse, recensiones Illustris familiæ Hennebergensium euincunt: Cum tamen, sublata omni dubitatione, confirmatio duntaxat quædam, non prima collatio nouæ dignitatis, sub Ludouico, eidem nostro BERTOLDO facta sit, quod ipsum vel ipsius Ludouici literæ ad BERTOLDVM Principem, cum aliorum priuilegiorum, tum verò, nouæ dignitatis confirmandæ gratia, diuersis temporibus datæ, luculenter testantur, ex quibus etiam illud, quod de futura confirmatione promiserat Imperator, optima fide præstitum esse, manifestissimum est: Idq; proximè sequentibus annis, post commissum illud prælium, literis Romæ & Tridento datis, in quibus inter cætera, etiam hoc honoris titulo dignatur BERTOLDVM, vt Secretarium suum dilectum, & Imperij fidelem Charissimum, vt vulgò sunt receptæ eiusmodi dignitatum appellationes, honorificè salutet, vt nihil illa, omnium & priuilegiorum, & nouæ dignitatis confirmatio, per Ludouicum facta fuerit aliud, quam primum com-

mendatio virtutum in B E R T O L D O maximé inſignium: deinde meritorum eiusdem, cum aliorum plurium: tùm vero eorum, quæ in atrociſsima pugna illa, rebus ex ſententia votoq; Imperatoris, prudentia & fortitudine B E R T O L D I geſtis, glorioſé præſtiterat, compenſatio.

Porro etiam hoc, quod intendimus, confirmant ampliſſima præmia, quibus tantis ornatus & collocupletatus eſt à Ludouico BER T O L D VS noſter, quantis erat virtus, eiusq; meritorum magnitudo digniſsima.

Emerat B E R T O L D V S, ſexto poſt milleſimum trecenteſimum anno, Menburgum cum ſaltu vicino, fundisq; circumiacentibus, ac proprijs bonis & reditibus eiusdem, à Comite Barbienſi VValthero, Locum Tenente & Adminiſtratore Marchionis in Franconia, qui triennio ante illud à Baronibus à Grundlach bis mille aureis emerat. Cæterum contractum illum Gotefridus à Brauneck illegitimum aſſerens, interceſsit, & ob id, quod coniugis nomine, Iuris ſe aliquid habere putabat hæreditarij, irritam emtionem eſſe contendens, Imperatoris autoritate & literis, Vlma datis, feria ſexta ante feſtum Iohannis Baptiſtæ, anno milleſimo trecenteſimo, viceſimo quinto, pro B E R T O L D O pronunciantibus, cedere, ratamq; obligationem illam, vltrò citroq; ex voluntate & pacto partium ſurgentem, permittere iuſſus eſt, quod anno altero poſt celebrem illam Ludouici victoriam factum eſſe, monumentis diplomatum conſtat.

Eodem tempore, literis Ratiſpona datis, duodecimo Calendarum Maij, B E R T O L D O ὥσπερ τῶν ὑπὲρ τὰ στρατεύσιμα γεγονότων vt Xenophon loquitur, & emerito militi, ad faciendam ipſi meritorum dignæ viciſsitudinis recompenſam, vt Imperatoriæ Maieſtatis propria verba retineam, de regia munificentia contulit, & donauit reditus ſexcentarum librarum denariorum Lubeccenſium, quos Imperio debitos, B E R T O L D VS dum viueret, poſtularet & perciperet.

Præpoſituram item Aquenſem, B E R T O L D O eiusq; filijs diplomate VVirceburgi conſcripto, anno milleſimo, trecenteſimo, trigeſimo tertio: itemq; ducentas libras denariorum Brandeburgenſium, quotannis Francofordi pro vectigali exigendas, conceſsit; literis Conſtantia datis, Alibi etiam, vt mille marcas cogeret in Marchionatu, permiſit.

Belrittum, quod diplomatis Caſtrum nominatur, & ad Henricum ac Leopoldum, Coquinarios, vt vocantur, de Nortenbergk, iure proprietatis

 ſpecta-

ſpectabat, donabat BERTOLDO, feudumq́ue confirmauit literis Norinbergæ datis, anno milleſimo trecenteſimo viceſimo tertio, eodem ſcilicet anno, quo conflixit cum Friderico Auſtriaco.

Anno, ſupra milleſimum trecenteſimum, quindecimo, literis Monaco, quarto Idus Iulij datis, tum in ſumptuum, quos in obeundis Cæſareæ Maieſtatis officiorum muneribus expenderat, compenſationem: tum ad inſtaurandas muniendasq́ue ditionis ſuæ vrbes, Coburgum, Regiscuriam & Smalcaldiam, moderatum, vt vocant, vulgetum, videlicet contributionem ſolenni ſtylo ſic dictam, quòd vulgo fieret, inſtituendi poteſtatem fecit. Paulò antè, & quidem ſub initium Imperij, Ludouicus BERTOLDVM LocumTenentem Imperij conſtituit, Mulhuſii, & pro vicaria præfectura decernit quadraginta Marcas auri, & vtramq́ue vrbem, Mulhuſium & Northuſium, eidem prouinciales attribuit, anno ſupra milleſimum, decimo quarto.

An adhuc alium, quàm BERTOLDVM fuiſſe, dubium eſſe poteſt? Fuiſſe noſtrum, res loquitur: prælio BERTOLDVM interfuiſſe, non Bopponem aut Henricum, circumſtantiæ omnes apertiſsimè docent. Tantis feudorum, vectigalium, ac redituum incrementis & acceſsionibus adiutus, ac collocupletatus BERTOLDVS, ab Imperatoribus, nobis quid ſapientia, quid virtus & eruditio, Principibus cæterisq́ue ex nobilitate, tum ad honores, tum ad opes augendas, ampliandasq́ue conferat, exemplum admiratione & immortalitate digniſsimum reliquit.

Cumq́ue iam alijs etiam totius Imperij Principibus tum Politicis tum Eccleſiaſticis, perſpectum exploratumq́ue eſſet: BERTOLDO non ſolum in iudicandis controuerſiis, & componendis litibus, ac reprimendis virtute conſilioq́ue ſeditioſis motibus: ſed etiam in tranſigendis de pace negotijs, & ingenium & genium admirandum eſſe: Non minus & hi, ſæpiſsimè ac plurimum ipſius vſi conſilio, & adiuti auxilio, vt bellatoris tum fortiſsimi, tum ſapientiſsimi, inq́ue caſibus periculoſiſsimis, & maximè arduis ſacri Imperij negocijs, dexteritatem iudicij experti: miris laudibus extulerunt, & miſsis præmijs, donatisq́ue vltrò feudis & oblatis honoribus noſtrum Principem ſuum eſſe, ſuisq́ue patrocinari partibus voluerunt.

O dignam præmijs & honoribus virtutem Principis: virtute ambire oportet, non fauitoribus, ſat habet fauitorum ſemper, qui rectè facit, inquit

inquit Comicus. Fautores sibi noster comparauit summorum virorum amplissimos, solius dotibus ingenij, solius virtutis splendore, laudibus hoc efferendus maioribus, quò donis splenduit rarioribus & dignioribus.

Affuit itaq; vicinis, affuit remotis. Sed vbi? inquies. Cum crebrò seditiones fuissent sub Hermanno & BERTOLDO, Episcopis VVirceburgicis: Sic etiam aliquantò post, anno post mille ducentos nonagesimo secundo, orta seditio subditorum aduersus Mangoldum, & ipsum Episcopum VVirceburgicum, nostri Principis virtute & auxilio repressis seditiosis, sedata fuit, ex eoq; tempore, VVirceburgicus, quem diximus, Præsul, & BERTOLDVS Princeps, intercedente mutuæ obligationis fœdere, vires suas ambo deinceps ad coërcendos seditiosos & sedandos tumultus, simul coniunxerunt. Idem etiam Episcopus, pro re strenuè gesta, BERTOLDO Principi Frittelshusium, eiusq; Iurisdictionem, deuolutam tunc temporis ex obitu & interitu familiæ Alberti à Iochersberg, ad Episcopatum VVirceburgicum, feudatariam donauit, & simul honoris & sumptuum, quos impenderat, gratia, marcas argenti quadringentas obtulit, idq; anno millesimo ducentesimo nonagesimo septimo.

Albertus Landgrauius Thuringiæ, BERTOLDVM Principem vel vltrò beneuolentiæ & amoris studio in ipsum singulari & mirifico, præfecturæ Aldepretingiæ feudo, quod Alberto post mortem Henrici à Franckenberg sine hærede defuncti, Domino feudi cesserat, Vasallum ὡς χαριζόμενος inuitatum asciuerat, anno millesimo ducentesimo nonagesimo quinto, annis videlicet, ante inaugurationem BERTOLDI, quindecim.

Henricus quoq; Fuldensis præsul, BERTOLDVM Principem iamdudum ambit, vtq; eum amicum & rerum prudenter gerendarum autorem sibi & socium comparet: decernit ei centum & quinquaginta libras denariorum Fuldensium, anno ad mille trecentos tertio, qui reditus BERTOLDO, iuris alieni in Ruckenstuel vicario, pro meritis, summa fide magnaq; cura, Præsuli eiusq; diœcesi præstitis, cederent. Cæterum Abbas ille, ex familia oriundus fuit Comitum à VVeilnau, rerum sub Rodolpho, Adolpho, Alberto, Imperatoribus, gestarum fama celebris, cui & virtus BERTOLDI nostri eò perspectior erat, & fides exoptatior, quò coniunctiores ambo simul in Alberti Imperatoris aula vixissent, rebusq; essent adhibiti maioribus. Quid

Quid eodem hoc anno Monachis Vezerani cœnobij præter opinionem acciderit, & mihi commemorare, & vobis, vt arbitror, audire, molestum non erit. Monachi in festi cuiusdam præcipui solennitate, sanctorum reliquias, apparatu splendido, auroq́ simul & argento nitidissimas, religionis studio, plebi confertim aduolanti, ambitiosius ostentabant, Ibi nonnulli magis sanctorum imagines, quas auro argentoq́ coopertas, pauloq́ densius preciosissimo metallo compactas viderant, quam ipsa mortuorum ossa ac reliquias admirati, sacrilegis manibus abstulerunt. Monachi cætera quidem anxiè desiderantes: illius tamen iacturam præcipuè dolebant, quòd aliquid sanctæ crucis reliquiarum Hierosolymis olim missum, sumtuosissimè & affabrè elaborato metallo inclusum, auroq́ insigniter obductum, vnà surreptum fuerat. Sed fortaßis hæc ἐν ἀλλοτρίῳ χορῷ πόδα τιθέμενος, non enim nunc sacrilegia, sed BERTOLDI memorabilia volumus referre.

Deniq́, quod alij Principes nec autoritate, nec precibus suis obtinere potuerunt: hoc Princeps noster non minus prudentia & doctrina, quam autoritate pollentißimus, facilimè sua intercesßione impetrauit.

Gebhardo Episcopo Mersburgensi, Henrico item Hildesheimensi, BERTOLDI solius intercesßione, feuda diœceseos vtriq́ ab Imperatore descendentia, tunc temporis impetrata sunt, testantibus hoc ipsum regijs diplomatis, anno supra millesimum, trecentesimum, tertio & tricesimo, Norinbergæ editis.

Vnum adhuc est, quod vt maximè memorabile & præcipuum, ita maximè referendum: vtpote toti genti Hennebergicę & Principum Hennebergensium subditis, in tota posteritate, & decus & emolumentum perpetuum ac laudabile acquisitum, laudatißimis ac summis BERTOLDI nostri meritis, videlicet gentem illam αὐτόδικον siue αὐτονομουμένην intra sui limites Dominij, αὐτεπιτακτικῶς ius dicere subditis suis, idq́ peculiari decreto Imperatorio, adeò nimirum, vt quicunq́ aduersus subditos Hennebergicæ ditionis de quacunq́ caussa ciuili aut criminali, actionem aliquam habeat aut instituat, non alibi quàm coram Principe Hennebergio, eiusq́ hæredibus ius suum persequatur. Quod quidem Priuilegium τῆς αὐτεξουσιότητος, ipsius non solum Imperatoris, sed & Electorum, Boëmiæ Regis, Palatini, Treuirensis & Moguntini, vnanimi consensu comprobatur.

Hactenus in officijs & dignitatibus publicis, vti eminentissimum fuisse nostrum: ita etiam meritorum præmijs locupletissimum, audiuimus, restat, vt qualis domi inter subditos suos, & priuatus, deinde etiam erga superos fuerit, dicamus.

Reipublicæ studiosissimus fuit, ideoq́ꝫ, vbicunqꝫ se prodesse aliquid posse existimabat patriæ, nullos labores fugit, nulla periculorum discrimina aduersatus est, illud secum perpendens: εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης. Quin sui officij esse censuit, subditos bonis cumulare quam plurimis: ὡς ὄρνις ἀπτῆσι νεοσσοῖσι προφέρῃσι, μάστακ' ἐπεί κε λάβῃσι, κακῶς δ' ἄρα οἱ πέλει αὐτῇ. Vnde iudicare facile est, quales mores eius fuerint: ἀπὸ γὰρ τῶν ἔργων καὶ τοὺς τρόπους αὐτοῦ κάλλιστα καταδῆλοι ἔσονται, Xenophonte teste: in tota autem gubernatione, erga subditos placidus fuit: οὐδὲν διαφέρων τοῦ πατρὸς ἀγαθοῦ. Odit, qui publica priuatis postponerent commodis, Tribunal & curiam auream messem esse rati, vt Stratoclem & Dromoclidem fecisse ex Plutarcho discimus.

Vtq́ꝫ Principis ignaui nullam esse dixit vtilitatem: ita subditorum etiam intuens labores & studia, nihil molestius tulit, quàm ignauorum & ociosorum premi, atqꝫ affligi voracitate sedulos. Vindex scelerum acerrimus: pacis ac concordiæ publicæ conseruandæ studiosissimus.

Paternæ hæreditatis non dissipator, sed augustus amplificator fuit: custos salutis & defensor communis patriæ. Nec desunt quæ, quod dicimus, affirmant, & luculenter quidem, exempla.

Guntherus Comes à Keuernburgk senior, anno post mille ducentos, octuagesimo octauo, quadringentarum argenti marcarum debito obligatus BERTOLDO, eiusq́ꝫ patruo Henrico, Domino Hartenbergio, sub lege redimendi, pignori posuit arcem Elgersburgam, eamq́ꝫ postea, accepta fiducia, mancipatam Friderico VVirzlebio, BERTOLDVS de consensu patrui, eiusq́ꝫ coniugis Kunegundis, VVerthemiæ Comitis remancipatam, plenoq́ꝫ iure traditam tenuit, vt posthac de fundis illius proprio disponeret arbitrio.

Anno, post mille ducentos, nonagesimo nono, quidam latrones suis in Bambergica diœcesi freti receptaculis, casulis incensis, passim direptionibus & prædis agros Hennebergicos, maximè autem propè Oberodam, euastant. BERTOLDVS ibi patria defendens tecta, & ab aris focisq́ꝫ ferrum flammamq́ꝫ depellens, equitatu magno collecto, sua ditione pulsos latrones istos grauiter vlciscitur.

Rurſus ad annum quartum, poſt mille trecentos, diſſenſionibus & contentionibus ortis grauiſsimis, inter VValtherum Barbienſem Comitem, Marchionis Hermanni in Coburgica ditione τοποτηρητὴν, & BERTOLDVM, qui atrocibus VValtheri iniurijs laceſsitus, aperto Marte cum hoſte congreſſus, prope Gauerſtadium pagum, alijs occiſis, alijs captis, cæteris profligatis, & in fugam verſis, victor feſto Simonis & Iudæ, anno, quo diximus, redibat.

Cæterum, nec dum quieſcens Barbienſis, recollectis quaſi viribus, altero mox die, Siluſiam noſtram ex inſidijs adit, & inopinato obſidens vicinos pagos depopulatur, plebeculæ miſeræ etiam imperata pecunia: verùm territus aduentu BERTOLDI ſignificato, ſtatim relicta Siluſia, Vezeram properat, noctem cum ſuis ibi, cum magna fratrum moleſtia ac iactura, commoratus, altero die Vierræ loca pagosq́ vicinos obruit, diripit, incendit: Interim BERTOLDVS Heltpurgicos & vicinos vaſtabat agros: quod poſtquam Bibræ pernoctans Barbienſis audierat: inde cum equitatu, quem tunc habebat, quàm BERTOLDVS robuſtiorem, è veſtigio noſtrum inſequitur, manumq́ ad VVitersbachium conferens, tunc quidem ſuperior fuit.

Atqui BERTOLDVS, vir ſtrenuus, & pectore ſemper in defendendis ſuis fortiſsimo, cladem acceptam & iniuriam illatam iniquiſsimè ferens, nouis equitibus, quos Haſsiæ Landgrauius affinis miſerat, & ſuis longè quàm antea inſtructior, hoſtem vlturus, VViltpergam arcem, ad quam ſe receperat Barbienſis, obſedit, incendijs ac direptionibus agros ad Menburgum vſq́, quod quidem id temporis in Barbienſis erat poteſtate, longè lateq́ depopulatur, hoſtem redigens ad eas anguſtias, vt BERTOLDI virtutem & fortitudinem admiratus, eius deinceps amicitiam potius ambiret, quàm amplius quicquam aduerſus eum hoſtiliter ſuſciperet. Quod ipſum, cùm venditio Menburgicæ arcis, quam BERTOLDVS, ſexto poſt mille trecentos anno, à Barbienſi emerat, vt ſupra diximus: tùm affinitas comprobat: duxerat enim eodem anno Barbienſis Comes VValtherus, Henrici Hennebergici filiam, nuptijs Coburgæ celebratis.

Cum anno, poſt mille trecentos, octauo, Albertus Imperator, cognita ſuorum clade ad Luckam accepta, metuens, ne Fridericus Marchio Miſnenſis, vrbes, quæ pro Cæſare ſtabant, inter quas etiam imprimis Iſenacum fuit, vi caperet: cum exercitu Thuringiam ingreſſus, Munerſtadij

Franciæ oppido, biduum commoratus est: ibi BERTOLDVS, intimus Alberti Consiliarius, Imperatorem subiectissime excipiens, VVasingam deducit, & vtrobiq; commeatus copiam, liberaliter & abunde, toti Cæsaris exercitui subministrat, Cæsare ipso cum Episcopis VVirceburgensi, Bambergensi & Spirensi, comitantibus Imperatorem, magnifice & regaliter tùm Munerstadij, tunc quidem Hennebergicæ ditionis oppido, tùm VVasingæ exceptis. Tunc quidem ab Alberto noster BERTOLDVS Suuinfordensis municipij gubernationem impetrabat. Donauit etiam ad id tempus Imperator VVasingam, arcem simul & oppidum, priuilegijs, iudicijs & prærogatiuis ijsdem, quibus vrbs Imperialis Suinfordum olim à Regibus & Imperatoribus Romanis donata esset, diplomate concessis regio, Isenaci scripto, tertio Calendas Februarij: Idq; perpetuum quasi μνημόσυνον sui optimus Imperator, loco, quamuis alioquin humili, haud immemor hospitalitatis officij, reliquit.

Horum quidem Priuilegiorum confirmatio, postea non tantum anno pòst ab Henrico septimo facta est: verum vnanimi omnium Electorum consensu comprobata: Regis quidem Boëmiæ Iohannis: anno post mille, trecentos, vndecimo, vndecimo Calendas Augusti: Archiepiscopi Moguntini PETRI, post totidem anno decimo, ad tertium Calendas Iunij, Spiræ: Archiepiscopi Treuirensis, Balduini, eodem anno, octauo Calendas Augusti, Francofordi: Archiepiscopi Coloniensis eodem ipso anno, ad quartum Calendarum Septembris, Spiræ: VVoldemari Brandeburgici, eodem anno, ad octauum Calendas Augusti, Francofordi: Rodolphi Palatini eodem quoq;, quinto Calendas Maij, Ingolstadij.

Id temporis VVolfgangus à Landsuuehr, præfecturæ cuiusdam præses, à quodam prouocatus ad monomachiam, & antagonista cæso, coràm Iudicio VVasingæ reus constitutus, sententia iudicum, ex autoritate priuilegij Imperatorij, recens accepti, absoluitur.

Vita eius priuata, pulcerrimarum virtutum exercitijs, præcipuè verò temperantiæ ac sobrietatis luxit, vt omnibus tum subditis, tum domesticis, exemplum præberet moderationis, continentiæ, & salutariter instituendi vitam rationis.

Cultuum pietatis & religionis obseruantissimus fuit. Quæ virtus eum multa præclara monuit, & impulit, vt beneficentiam erga pauperes liberalissimè exerceret, factus ærumnoso Deus, vt inquit Nazianzenus.

Quam-

Quamobrem, vt de quàm plurimis quàm optimè mereretur, eleemosynas elargitus est in pauperes, easq; destinauit perpetuas.

In Vezerano cœnobio cultibus sacris, & suo & coniugis nomine, destinat, anno, post mille trecentos, secundo, sumptus ad sacra solennia & parentandi officium, die tertio decimo Februarij, quotannis in parentum, Soceri & Socrus honorem, vsitatis Ceremonijs, piè celebrandum: destinat etiam vasa, quæ sacris cultibus consecrata voluit, in eodem Cœnobio. Item, Crucem inauratam, tapetia artificiosè egregieq; picta, aliaq; pietatis & religionis ergò, quàm plurima.

Taceo quæ BERTOLDVS Iohannitarum ordini Silusiæ quotannis contulit, videlicet libras obolorum viginti quinq;, Munerstadij tantisper ex Tributo municipij soluendas, donec repræsentaret BERTOLDVS centum argenti marcas: vndecim libras ex proximis Silusiæ pagis, mille libras & amplius ex saltu conferendas, aridorum item aliquot mensuras, eidem ordini magno religionis studio donauit.

Cœnobij Meningensis fratribus, statim initio dominationis suæ biennio post obitum patris, vt in parentum memoriam, quotannis vicesimo octauo Ianuarij die, sacra celebrarent anniuersaria, destinata ligna ex saltu Obersultzfeld, citatis testibus, quorum fuit VVolframus Schrimfius (cuius posteri perhibentur nobiles, qui hodie Bergenses vocantur) Henricus Mareschallus à Schleusingen, Thomas VVeinschenk ab Hennenbergk, omnes equestrium ordinis, perpetuò rata esse voluit, ideò anno præcedente obitum ipsius, noua huius beneficij confirmatio facta est.

Hac ipsa permotus pietate, & religionis studio, cum alia multa, ad sacros ritus diuinosq; cultus conseruandos contulit: tum verò, digna tanto Principe munificentia, Smalchaldiæ ædem sacram Diui AEgidij nomini consecratam, extruxit, faustissimis sane auspicijs. Nam reditus annui, Capitularibus destinati, cessante nunc abusu, porrò in verum piumq; vsum conuertuntur, translati ad illustrem Hennebergicam Scholam, quam Illustrissimus Princeps GEORGIVS ERNESTVS Silusiæ aperuit, munificentiæ exemplo æterna memoria dignissimo.

Cæterum, quæ fuerit in BERTOLDO Principe religiosa sanctitas, quæ sancta religio, quàm feruidus & addictus Christo, eiusq; Ecclesiæ, rebusq; diuinis animus, an non vel inde colligimus? quod paulò ante vitæ, in hisce terris, finem, nec longè iam abesse mortis horam præ-

ſentiens, voluit quidem oſſa loco ſepulturæ conſecrato, & vſitato, nimirum in vicino Cœnobio Vezerano colligi, ibidemq́ terræ mandari, corpus & inteſtina: ſed, vt quo animo erga Eccleſiam & res diuinas fuiſſet, argumentum poſteris relinqueret, Cor exenteratum, in eum ipſum locum, quem Smalcaldiæ, vt diximus, religionis amore & ardentiſsimo pietatis ſtudio, rebus ſacris diuinisq́ cultibus, extructum conſecrauerat, deferri iuſsit, quod ibidem capſula incluſum in hunc vſq́ diem, in ſacrario ædis Diui AEgidij, reſeruatum videre eſt.

Voluiſti id temporis quidem, B E R T O L D E Princeps religioſiſſime, Cor tuum relinqui in eo loco, vbi ſingulare & præclarum pietatis tuæ monumentum, templum, focus & ara tuis erecta ſumtibus, extarent: vbi ſacri celebrarentur cultus: vbi ſubditi tuo ſolius parerent Imperio. Quod ſi nunc præſentem iſtam & admirandam rerum innouationem, ac mutationem, ſtatumq́ prorſus alienum, & iuris inſuper auiti translationem, intueri liceret: Certè anxiè velles, & idem expetere videntur ſanctiſsimi manes tui, translatis poſtremi, gentis & poſteritatis tuæ, laudatiſſimi Principis G E O R G I I E R N E S T I pia & vltima voluntate reditibus, Cor etiam ipſum S I L V S I A M translatum eſſe, quod totum inflammatum religionis & pietatis arſit amore, quod florentem Eccleſiæ & Politiæ ſtatum, florentem ſuæ gentis Proſapiam, quod non alienis, ſed filijs, nepotibus & toti poſteritati ſuæ theſaurum acquiri voluit: ô pietatem, ô fidem B E R T O L D I: ô ſanctiſsimos manes, & beatiſsimas reliquias, ô cor feruentiſsimi amoris flamma æſtuans & rebus ſacris tuisq́ poſteris addictiſsimum & propenſiſsimum: ô tumulum floribus decorandum accumulandumq́ æternis, purpureis & fragrantiſsimis. Sed porrò rerum ſuarum moderatorem prudentiſsimum B E R T O L D V M audite.

Inter alia etiam, prudentiæ & iudicij eius ſingulare ſpecimen, illud quoq́, & velut Cygnea cantio fuit, quod non ſine exemplo veterum ſapientiſsimorum, Perſiæ & Græcorum Principum, quorum etiam Cyrus eſt, teſtamento voluntatem ſuam exprimens, ſapiens Princeps, de illo cauit: vt ex poſteris, quouis tempore, natu maximus, gubernationem ſolus adminiſtraret: Cæteri verò, contenti certis reditibus viuerent, ita nimirum: ne quid clauum gubernationis tenenti, natu maximo, fraudi eſſet: aut nerui rerum gerendarum ſumtibus non neceſſarijs eliderentur, aut gubernatorum multitudine, quæ ſæpè, in eadem præſertim familia, diſsidiorum &

diſtra-

distractionum caussa est, res antea in tranquillo statu constitutæ, dissidentibus gubernantium opinionibus, labefactarentur.

Tandem omnibus rebus suis placidè compositis, & alteram illam vitam, cœlestem patriam, veris aspirans gemitibus, & ad beatam ex mortali vita emigrationem sese iamdudum præparans, animamq́ꝫ Deo reddens, in filiorum amicorumq́ꝫ amplexu, in vera Christi inuocatione piè & placidè expirauit, anno millesimo trecentesimo quadragesimo, XVI. Aprilis, Smalcaldiæ, cum annis vixisset sexaginta octo.

Hunc equidem BERTOLDVM, propter plurimarum & eminentissimarum virtutum decus eximium, verè BERTOLDVM, ὄνομα ἐπώνυμον ἐμφερὲς τοῖς πράγμασι, quem magnifecerunt, summoq́ꝫ fauore & gratia complexi, tres illi summi & laudatissimi Imperatores, Albertus, Rodolphi Habspurgensis filius: Henricus septimus Lucelburgensis, & Ludouicus Bauarus, in suas cooptarunt aulas, rebusq́ꝫ adhibitum Imperij maximis, propter amplissima merita, magnificà officia, plenissima prudentiæ & fidelitatis consilia, incredibilem mentis sagacitatem, cæteraq́ꝫ ingenij dona prorsus diuina, honoribus amplissimis, feudis & opibus splendidissimis, diplomatis ac priuilegijs, autoritate, & maiestate grauissimis, ornarunt, cumularunt, extulerunt, renouandis subinde & confirmandis ampliandisq́ꝫ, prius Imperatoria autoritate traditis, & acceptis feudis, & Priuilegijs.

Hunc, inquam, BERTOLDVM, licet summa ætate, eaq́ꝫ quam maxima pars hominum non attingit, rebus sit exemptus humanis: magno tamen desiderio prosecutos fuisse omnium ordinum homines, non est dubium. Quorum summis ornamento, æqualibus miraculo, pariter autem omnibus & singulis, exemplo fuit. Nemo enim BERTOLDO rerum gestarum gloria clarior, nemo autoritate grauior, nemo humanitate politior, expetitus summis, optatus æqualibus, dilectissimus subditis.

Porrò secutà sunt mortem BERTOLDI cùm alia, quibus turbatus est pristinus status, tùm vero abalienatio Coburgici tractus, facta septimo post obitum eius anno, cum summa vir & Princeps autoritate, tot annis, vt mox dicemus, abalienatum, iure pristino recepto, domino suo rursus addidisset. Atqui hæc calamitas genti Hennebergicæ, mira quadam fortunæ vicissitudine accidit. Nam cum BERTOLDO Princi-

cipi,

cipi, singulari benedictione numinis, datumq́ꝫ diuinitus esset, vt ex se posteritatem relinqueret florentissimam, ex qua generosissimæ in multorum eorundemq́ꝫ Illustrissimorum Ducum & Principum familias, transferrentur propagines: factum est, vt in desponsationibus filiarum, maritis alijs, alia loca dotis nomine promissa cederent.

Alexander Seuerus Romanus Imperator ille, qui propter virtutem, vt scribit AElius Lampridius in vita illius, Princeps dici meritus est omnibus bonis suffragantibus, solitus est dicere: Romæ seminarium Senatorum, Equestrium ordinem esse: Idem hoc liceat nobis de BERTOLDI posteritate nunc vsurpare, vt dicamus: eam Senatus Imperij, hoc est, duarum illustrissimarum familiarum, Saxonicæ & Brandeburgicæ, quarum in augustissimo Septemuirorum Senatu præcipua & summa est hodieq́ꝫ autoritas, φυτευτήριον & viuiradicem esse.

Addimus etiam, ex eiusdem BERTOLDI stirpe φύτευμα ac propaginem feliciter excisam, & Ducum VVirtebergensium insertam stirpi, diffusamq́ꝫ per multarum illustrium familiarum stemmata, lætis se germinibus longè lateq́ꝫ extendisse. Quæ si quis temerè, aut in gratiam cuiuspiam asseuerari putet, familiarum recensiones inspiciat licet, ex quibus nobis ad commonstrandum, quæ diximus, hæc breuiter quæ nunc sequuntur, recensenda duximus.

Henrico filio BERTOLDI natu maximo, cui post obitum patris, de sententia ac voluntate paterna, tradita est, & cessit ditionis suæ dominatio, nupta est GVTA, filia Hermanni Marchionis & Electoris Brandeburgici, cui ex sorore nepoti Boppo Hennebergius, vir sitiens, vt annales referunt, honores & diuitias, blanditijs Hermanni delinitus, exclusis agnatis suis, Coburgici tractus propria, partem Hennebergicæ ditionis, tunc temporis, præcipuam, testamento legauerat, anno Christi millesimo, ducentesimo, nonagesimo primo. Futurum Henrici filij sui, & Gutæ Brandeburgicæ coniugium, Princeps BERTOLDVS eò maiore exoptabat desiderio, quo ferebat iniquius, hæreditariæ & auitæ ditionis auulsionem. Atqui prudentissimus Princeps, pro vindicanda illa, noluit quicquam nisi placidè, & moderatis consilijs suscipi.

Sperabat enim fore, vt intercedente coniugio summa fieret, non modo animorum, sed abalienatæ etiam auitæ possessionis coniunctio, καὶ

μὴν

μὴν τὸν οὐκ ἐθέλοντα. Non enim ſpes ſapientiſsimum Principem fruſtrata eſt. Tentatum enim VVoldemari Electoris Brandeburgici autoritate ac interceſsione, coniugium, fatis propitijs feliciter impetratum eſt.

BERTOLDVS igitur coniugij iam noui auſpicio lætari, & ſibi gratulari, idq; non ob affinitatem, quæ iam olim inter vtriusq; familiæ maiores arctiſsima: quin & ſanguinis coniunctio inter Henricum Hennebergium, & Gutam Brandeburgicam, nouos ſponſos tanta fuit: vt quarto inter illos conſanguinitatis gradu nuptiæ contraherentur: verùm multo magis, propter abalienatam regionem Coburgicam, eiusq; Iurisdictionem, hac quidem connubialis fœderis occaſione, partim ſub dotali munere, ſperatam oblatamq;, partim intercedente legitimæ emtionis contractu, magna prudentia, & temperatiſsimorum conſiliorum moderatione BERTOLDI Principis, priſtinis ac ſuis hæredibus, anno Chriſti milleſimo trecenteſimo, decimo quarto, ſub Imperatore Ludouico Bauaro reſtitutam, ac nouis Imperatorum priuilegijs ac diplomatis, BERTOLDO eiuſq; hęredibus confirmatam, cum ſub Imperio Brandeburgenſium à morte Bopponis Hennebergij, qui ſine hærede mortuus, eam vt diximus, Hermanno ſororis filio donauerat, annis fuiſſet tribus & viginti: ex quo tempore Hermannus Brandeburgicus Elector inſignia ſibi vendicans auctoria, & ſub Aquila Brandeburgenſium, Gallinam oſtentans, noua Comitis in Henneberg & Domini Franconiæ inſcriptione gloriabatur, conſtituto regionis Coburgicæ Adminiſtratore VValthero Comite Barbienſi. Hic vicaria poteſtate factus inſolentior, & Hermanni Brandeburgici, cuius vicem ſuſtinebat, autoritate fretus, quæ aduerſus Principem noſtrum, inq; ditionis eius locis quibusdam, maximè vero Siluſiæ, & in Cœnobio Vezerano, hoſtilibus irruptionibus molitus ſit, & qua eum BERTOLDVS Princeps virtute inſecutus repreſſerit: antea diximus, vnde apparet vtrumq;: & verum eſſe, πῆμα κακὸς γείτων: & BERTOLDVM patriæ defenſorem minimè lentum hoſtibus profligatis, & in fugam verſis ſubditos ſuos fortiter propugnaſſe.

Cæterum cum Henricus nullam ex Guta Brandeburgenſi ſobolem maſculam ſuſcepiſſet, filias autem reliquiſſet tres: Sophiam, Eliſabetham, & Catharinam: Pòſt Henrici obitum, vidua Coburgum cum reliquis eò pertinentibus, vt donationem propter nuptias factam. feudi Hennebergenſis vſufructuaria poſſedit, manſeruntq; omnia ſub Comitum Henne-

 bergen-

bergensium dominio, tantisper donec filiæ Henrici, BERTOLDI neptes, in luculentissimas & potentissimas collocatæ familias, sub conditione donorum dotalium, Coburgicæ ditionis loca, iure tamen feudi, eiusq; Cæsarea autoritate factæ confirmationis, Hennebergensibus Principibus debita, ad maritos suos aliæ ad alios transtulerunt.

Sophia nupta fuit Alberto Burgrauio Norinbergensi, genitrix Marchionum Brandeburgensium, ex quibus deducta serie Proaui, & Maiores eorum, qui annos intra ducentos, ex hac familia, illustres extitere ac progenerati sunt, Marchiones & Electores Brandeburgici propagantur, quorum etiam annales & genealogici libri, Sophiam Hennebergicam, materna origine, gentis Brandeburgicæ parentem recensent.

Elisabetham duxit Eberhardus, Comes VVirtebergicus, per quem Regiscuria, vulgo Königshouium dotalia coniugis, venditione translata sunt ad Episcopum VVirceburgicum. Felici coniugio filium ex Elisabetha Hennebergica genitum VVirtebergensis habuit Vlricum, Tritauum Christophori Patris Elisabethæ, coniugis Illustrissimi Principis nostri, GEORGII ERNESTI.

Catharina desponsata est Friderico Marchioni Misnensi, qui propter Heroicam animi fortitudinem, qua multa præclare & strenue sub Carolo Quarto Imperatore gesserat, cognominatus est STRENVVS. Accepit autem cum Catharina coniuge, dotis nomine, reliquum prouinciæ Coburgicæ, quæ huius occasione connubij, tandem deuoluta ad Saxoniæ Duces, adhuc manet sub eorum dominio, annos ducentos & amplius. Suscepit ex Catharina Hennebergica Fridericus filios tres, Georgium, VVilhelmum & Fridericum, quorum hic ex Marchionum Misnensium familia primus ab Imperatore Sigismundo, apud Budam, Electoris, & Ducis Saxonici dignitatem accepit, anno millesimo quadringentesimo vicesimo, translata Electoratus Saxonici dignitate, in hanc Misnensium Marchionum familiam, postquam Albertus vltimus Elector Saxoniæ ex Anhaltina familia, in qua durauerat annis amplius ducentis, nullo relicto hærede, fato concessisset.

Ab hoc Friderico Marchione Misniæ, BERTOLDI Principis nostri pronepote, qui electoratus & Ducum Saxoniæ primus, vt diximus, ex illa familia consecutus dignitatem, ad posteros eam Marchiones Misnenses transtulit, descendunt eiusdem familiæ, nostro seculo, Duces & Electores Saxoniæ.

Sed

Sed hæc hactenus, & quidem eo consilio potissimum, vt consideremus, quæ posteritas BERTOLDI, quas in familias propagata, quibusque occasionibus ab auitis possessoribus, ad alienos & affines Principes, penes quos etiam num est possessio, præcipuam amplissimæ ditionis partem transtulerit.

Quibus etiam hoc satis euidenter ostensum putamus, BERTOLDI Principis ex Henrico filio neptes, trium inter Imperij Principes, maximè Illustrium & laudatissimarum familiarum, summa cum laude BERTOLDI, eiusque posteritatis, generosissimas fœcundissimasque propagines, quibus altricibus & quasi primis seminarijs, tantæ familiæ, vnde iam tribus ferè seculis, tot & tanti Heroes, & Principes incomparabiles, totius mundi lumina fuerunt exorti, propagatæ, tulerunt regnorum Romani Imperij stabilimenta & columnas, quibus illud suffultum, & consolidatum, multis iam seculis, decus suum aduersus omnem iniuriam, & impetum tueri potuit, maximo totius imperij amplitudinis & dignitatis incremento.

Sed quam, dixeris, Hennebergicæ familiæ, atque adeò Principi tuo BERTOLDO laudem hic quæris? Siquidem aliena sunt, nec vnius familiæ, quæ tamen ad vnam referre non vereris? Refero ad vnam, vni eidemque nostra quærit oratio, quæ tantum vnius sunt. Quidni toti genti Hennebergicæ, BERTOLDO eiusque posteritati laudi detur? ex se genitas filias neptesque tantorum Principum, Ducum, & Electorum extitisse matres? quas vel illi γενεαλογοῦντες honoris caussa recensent. Quid? quod hoc homine gloriari ἀγενεαλόγητοι nequeant, vtpote qui gentis suæ suorumque maiorum seriem ignorent? nonne etiam summi Principes, materna quoque origine, generis sui ortum illustrari voluerunt? quid horum nomina memorantur à Genealogiarum scriptoribus? cur Poëtarum sapientissimus Andromachen Hectoris coniugem, magnanimi Eetionis filiam celebrat? cur Olympiadis matris Alexandri magni nobilitatem, præ cæteris quas coniuges habuit Philippus pater, memorant historiæ? cur Iulius Cæsar apud Suetonium Tranquillum Quæstor factus, Iuliam amitam, vxoremque Corneliam defunctas, laudauit è more pro rostris? cur in amitæ quidem laudatione, de eius ac patris sui vtraque origine sic refert? Amitæ meæ Iuliæ, maternum genus ab regibus ortum, paternum cum Dijs immortalibus coniunctum est.

Xenophontem igitur, vel potius Socratem ipsum decernentem, &

 quicquid

quicquid dubij relinqui poterat, grauitate iudicij sui tollentem, audiamus: apud illum libro secundo, de factis & dictis Socratis memoratu dignis, sic legimus: Manifestum est, nos considerare, à quibus mulieribus quàm optimi filij nobis propagari possint. Et paulò post, philosophica, quæ dixit, comprobans ratione quadam, subiungit: mulier concipiens tolerat hoc onus cum grauamine & periculo vitæ, alimento suo nutriens fœtum, & vbi magno multoq; cum labore pertulerit & pepererit, postea etiam nutrit atq; pro ea procurat. Cæterum ne his quidem acquiescentem, hunc copulationem vtriusq; sexus ad sobolis propagationem necessariam, negaturum dixerim.

Sed ad BERTOLDVM, eiusq; posteros, quorum institutæ narrationis series me cogit mentionem facere, reuertor.

Reliquerat BERTOLDVS Princeps quatuor filios, Henricum, de quo superius, IOHANNEM, Ludouicum & Bertoldum, & ex his, Iohannem sanguinis & nouæ dignitatis, ad posteros propagatorem, Illustrissimi Principis nostri GEORGII ERNESTI Tritauum.

Iohannis filius Henricus, pater VVilhelmi Primi, BERTOLDI nepos, aui vestigia & pietatem secutus, vicinum nosodocheum ad Diuum Chilianum fundauit. Ex hoc genitus VVilhelmus Primus, religionis studio terram sanctam visurus, in Cyprum delatus moritur.

Filius eiusdem nominis VVilhelmus Secundus, incliti Principis GEORGII ERNESTI Proauus, patri successit, fratre Henrico Coloniæ & VVirceburgi sacris deuoto.

Huius deinde & nominis & bonorum hæres, VVilhelmus Tertius sequitur, qui profectus cum ERNESTO Saxoniæ Electore, BERTOLDI Principis ex filia abnepote, Romam, in reditu Salodori Heluetiæ oppido, mortem obijt, Boceni inhumatur, ossa biennio post in Cœnobium Vezeranum transferuntur.

Filius successit VVILHELMVS Quartus, religiosus, pius, optimus, et nullis non ornamentis Heroicis eminentissimus Princeps, nulli maiorũ suorum, virtute & pietate secundus, cuius laudes & res gestas saltem attingere velle, alius est loci & instituti.

Tibi autem, VVILHELME Princeps Inclite, tuisq; pijs manibus, memoriam debemus beneficiorum & pietatis tuæ sempiternam, eamq; in hoc cœtu linguis & animis gratis prosequimur.

Tu motus pietate & religionis amore, sacris cultibus & studijs, liberalitate & munificentia Heroica, locum hunc, quem pia nunc frequentat iuuentus, vbi quotidie discentium & docentium operæ Deo gratæ, & Ecclesiæ ac Reipublicæ salutares, fiunt, & exercentur, & assiduè Deo eiusq́ Filio Iesu Christo, & Spiritui precum & veritatis sanctissimo, decantantur, sonantq́ laudes & preces funduntur: Tu, inquam, asceterion hoc officinam pietatis, sumptibus tuis primum erexisti, studijs & Musarum cultoribus consecrasti, sublatisq́ abusibus tetricis & nefandis, ac horribilibus execrandorum Monachorum erroribus, teneræ donasti iuuentuti totiq́ posteritati, vbi eam tum in bonis & honestis moribus, tum liberalibus artibus, tum etiam de Deo, eiusq́ Filio sinceriore doctrina, piè erudiri voluisti. Hæc tua cura, hæc vltima voluntas fuit.

Salue sancte senex, patriæ Pater, inclyte Princeps.

Te discentium ora, te docentium calami colere, tuorumq́ meritorum memoriam sanctissimam renouare augereq́, suisq́ posteris traditam cumulatoribus extollere laudibus, nunquam desinent.

Salue sancte senex, patriæ Pater, inclyte Princeps.

Inter generosissimos VVILHELMI Quarti filios, præcipui fuerunt: VVolfgangus gentis suæ & lumen clarissimum, & decus nobilissimum, Heros eximius, vix, proh dolor, terris ostensus, fautor studiorum magnificus, qui Scholæ huius fundamenta & prima initia pro Heroica virtute, & amore erga literas, feliciter posuit.

Boppo item pius, placidus, mitis & natura bonus Princeps: & inter vtrumq́ horum medius, GEORGIVS ERNESTVS, optimus, salutaris, necessarius & immortalitate dignissimus Princeps.

De quo quid tristius dici aut cogitari à nobis potest, quam nuper tantum Principem, absq́ masculis hæredibus, cum totius interitu Prosapiæ concidisse?

Sed ne dolorem, multorum pectoribus aliàs grauissimum & acerbissimum, grauiorem intempestiua commemoratione nunc efficiam; præsertim cum malum sit eiusmodi, quod nec querelæ nec planctus nec eiulatus nostri satis deplorare: nec vlla ab hominibus excogitata phar-

maca lenire, multò minus sanare possunt: nos conuertimus potius ad gemitus & preces, arma solius Ecclesiæ, in his terris orphanæ & omnibus præsidijs destitutæ, propria.

Te igitur CHRISTE, patris æterni & omnipotentis, æterne & omnipotens Fili: qui verbo, Patris è sinu tui, nobis infallibili voce & ore tuo, patefacto promisisti: Ecce vobiscum ego sum omnibus diebus, vsq; ad consummationem seculi: Te rogamus supplices, & animis vocibusq; ardenter inuocamus: sublata prorsus Ethnica pectorum nostrorum dubitatione, certo statuentes, nostras preces exauditum iri: Tu enim seruans promissionum tuarum, & gentis Israeliticæ custos, tu Immanuel: tu Iehoua, tu vitæ boniq; dator & autor vniuersi: tu orphanorum adiutor & ἀλεξητήριον certissimum ac vnicum: Tu nobis in his turbulentissimis temporibus, vbi natura rerum vniuersa præcipitem & tristissimam minitatur ruinam: vbi pietas & cæteræ virtutes animis hominum languescentibus, nec prisci seculi vigorem amplius retinentibus, sed cum horridiore mundi senio sordescentibus & squalentibus, frigescunt prorsus, & in plerisq; extinguuntur: Vbi tot crescunt & cumulantur indies inaudita hominum scelera: vbi vitæ communionis & societatis humanæ nulla amplius propemodum honestas, & nihil quam tristis pertimescenda confusio: omniumq; ordinum & honestarum politiarum horrendus & miserabilis imminet interitus: tu igitur quæso nobis squalidæ & senescentis Ecclesiæ tuæ matris afflictissimæ filijs orphanis, clementer ades, potenter opitulare, & benigniter accende, auge, confirmaq; cùm omnium virtutum in nobis amorem: tum autem veræ & sinceræ fidei lucem: dilectionis mutuæ, ac humilimæ patientiæ semina semper exuscita, ale, foue viuacissima ac florentissima, vt lætis se fructibus ostendant, tibi gratis & arridentibus, tuæ vero Ecclesiæ salutaribus.

Cumq; te stabiliente & transferente, regna mundi, Daniele teste, stabiliantur & transferantur: da nobis quæso, voluntatem & iram tuam in ruinis regnorum considerantibus & cernentibus, salutaris ad te conuersionis initia, robora & incrementa, eaq; spiritu oris tui iuua, auge, confirma: & salutares Magistratus, quos Ecclesiæ in his terris, quam tu humanis ex cœtibus verbo sonante colligis, addis & donas pios nutritios, rege, foue, guberna, conserua. Illustrissimos Principes D. Augustum, Electorem, & D. Fridericum VVilhelmum, & D. Iohannem, Fratres germanos,